r4

Q. B. V.

EXERCITATIO PHILOSOPHICA

De

PHILAUTIA,

Qvam

Benevolo permissu

INCLUTI SENATUS PHILOSOPHICI,
IN CELEBERRIMA LIPSIENSI,

PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO AC PRÆCLARISSIMO

DN. M. JACOBO THOMASIO,

Oratoriæ Prof. Publ. celeberrimo, Facult. Philosoph. Assessore gravissimo, ut & Min. Princip. Collegii Collegiato dignissimo,

Præceptore atq; Evergeta suo æternùm devenerando publicæ Eruditorum disqvisitioni subjicit

NICOLAUS Dencker/ Dithmarsus;

Anno M DC LXI.
die 9. Martii,
H. C.

Nunc recusa Anno 1672.

Annuente DEO!



Nfame vulgò Philautia nomen est, sed res ipsa, si vitium depravatæ naturæ separes, adeò extrà culpationem posita, ut B. Augustino judice summæ illius Trinitatis imaginem in nobis compleat. Nam & sumus, *inquit*, & nos esse novimus, & nostrum esse ac nosse diligimus.---Sicut enim novi me esse; ita novi etiam, hoc ipsum nosse me: eaq; duo cùm amo, eundem qvoqve amorem, qviddam tertium, nec imparis æstimationis, eis qvas novi, rebus adjungo. *Hæc facilè persvaserunt nobis, ut in argumento tàm nobili utiliter crederemus ingenium versare nos posse.* lib. XI. de Civ. D. c. 26

CAPUT I.
DEFINITIO ET DIVISIO IN PARTES.

1. Philautiæ Synonymia, 2. Homonymia. 3. Amor & Amicitia differunt. Homo internus & externus. 4. Scopus in hoc argumento Aristotelis. 5. noster. 6. Definitio Philautiæ. 7. Homo non αὐτάρκης. Deus φιλαύταυτος. 8. Philautiæ pars introversa & extroversa.

§ 1. φιλαυτίαν Latini, cùm Græcorum rotunditatem æqvare non possent, qvod qvidem Germanis hîc licuit (a) duobus verbis *amorem sui*, (b) *caritatem sui*, (c) *dilectionem sui*, (d) appellaverunt: id enim vox græca composita sonat: nisi & *amicitiam sui* interpretari velis, qvâ de re paulò postea (e). Utiqve apud Aristotelem synonyma sunt φιλεῖν seu ἀγαπᾶν ἑαυτὸν (f) & φιλικὸν πάσχειν πρὸς ἑαυτὸν φιλικῶς διακεῖσθαι πρὸς ἑαυτὸν πρὸς αὐτὸν φιλικῶς ἔχειν (g) sicuti & in his: φιλία ἡ πρὸς ἑαυτὸν (h). ἡ πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς φιλία (i) ἡ πρὸς αὐτὸν φιλία (k) apertissima τῆς φιλαυτίας periphrasis agnoscitur.

(a) *Vocamus enim* Eigenliebe. (b) *Horat. I. od. 18. Augustin. XIV. de C. D. 28.* Amorem privatum *dixit Autor* Tract. *de inter. domo sub Bernh. nomine vulgati c. 37. & Gvilhelm. Paris. de retrib. Sanct. Vol. 1. oper. f. 164:* (c) *Senec. V. de Benef. 9. Gell. XI. 5.* Natura induit nobis amorem nostri caritatem, & nihil qvicqvam esset carius pensiusqve nobis,

qvàm nosmet ipsi *Scholastici Theologi amant hoc argumentum tractare in Loco de Caritate.* (d) *August. n. 1. de doctr. Chr. 22. Bernh. sive qvis alius, III. de amore Dei, c. 15.* (e) §. 3. (f) *IX. Nic. 8. ab init.* (g) *IX. Nicom. 4. sub fin.* (h) *d. l. post med.* (i) *II. magn. Mor. 11.* (k) *ibid. & II. Pol. 3.*

§. 2. Qvoniam verò Amor ex eo est *appetituum* genere, qvi præviam cognitionem seqvuntur, & vocantur *elicitis*. tametsi vim diligendi sui *stirpibus* etiam interdum atqve *arboribus* (l) imò *naturæ omni* (m) tribuere solemus: tamen absq; Metaphorâ nullam substantiam φίλαυτον vocabimus, nisi qvæ sensu polleat, aut ratione. Tales sunt, *Brutum*, *Homo*, *Spiritus*, *DEUS* qvi modo qvodam eminentissimo (n) se amat. Atqve ex his solius *hominis* Philautiam contemplari propositum est nobis.

(l) *Cic. V. fin. p. 132.* (m) *id. IV. fin. p. 113:* (n) *vide aliqvid §. 7.*

§. 3. Ubi observabis, latiùs eam fundi, si *amorem* sui, qvàm *si amicitiam* secū interpretere. Patebit enim sic & in pueros, qvos alioqvi (perinde ut animantes brutas) amicos sibi vocari posse abnuit Philosophus (o) eo argumento, qvòd homo, cùm in pueritiâ simplex ejus esse constitutio videatur, mox ubi adolevit, proferente se adversùs cupiditates ratione, dissilire qvasi incipiat in naturas duas, (*duos homines* licebit cum Piccolomineo (p) vocare, *internum* & *externum*) Unde seqvitur, ut in *adultum* secum ipso comparatum cadere possit amicitia, in puerum non possit, qvippe qvæ multitudinem aliqvam copulandorum postulat (q). Aliqvo tamen modo *naturalem* qvoqve illam, a qvâ nec *pueri* alieni sunt, Philautiam habere, cur amicitia dicatur, infrà (r) videbimus.

(o) *VII. Eud. 6. prope fin.* (p) *Grad. VII. c. 18. p. 604. (conf. Augustin. XI. de C. D. 27. propè fin.) cujus tamen interpretationem eatenus improbamus, qvatenus in dogmate Platonis § 77. a nobis rejiciendo qvodqve in hâc distinctione & Porphyrius seqvitur citatus Stobæo Serm. 21. f. 184. affinis est. Adhuc aliter explicant hanc distinctionem Theologi. Qvorum à messe falcem abstinemus.* (q) *junge qvæ dicemus §. 50. 51. Alias de discrimine* Amoris & Amicitiæ *consulendum c. 5. lib.* VIII. *Nic.* (r) §. 24.

§. 4. Sed Aristoteles parum abest, qvin solius *additæ* tra-

Ratio

ſtationem ſuſcepiſſe dicendus ſit. Nec ſecus debuit fortaſſe. Nam qvi hoc argumentum non alibi perſeqveretur ex profeſſo, qvam ubi de perfectæ inprimis Amicitiæ naturâ laboraret (s), bonâ cum ratione ſepoſuit illud Philautiæ (teremus in poſterum vocem græcam.) genus imperfectum, qvod ſua ſolius vi ſubnixum ſe non poſſet in perfectam amicitiam induere (t).

s) IX. Nic. 4. & 8. VII. Eud. 6. II. magn. Mor. 11. 13. 14. t) vide qvæ notabimus §. 65.

§. 5. Nobis alia mens. Non, ut ille, ab amicitiâ ad Philautiam, ſed itinere contrario ab hâc ad illam progrediemur: adeoqve principem curam non Amicitiæ impendemus, ſed Philautiæ. Qvo magis accurandum fuerit, ne qvam ejus ſpeciem cenſeamur præteriiſſe.

§. 6. Ergo ſi qvis univerſim Philautiæ notionem adumbrari ſibi petat, vi nominis dicemus eam eſſe *Amorem hominis versus ſe ipſum.* Qvod ad rem attinet, commode finitur illa *Appetitus, qvo ſe homo in ſtatu naturali (u) conſervare & perficere ſtudet ipſe.*

u) Guill. Pariſ. de Virt. Vol. 1. oper. f. 64. Qvemadmodum pondus ſeu inclinatio corpus trahit ad locum ſibi naturaliter convenientem & illum qværit eidem: ſic amor iſte omnem ſubſtantiam nobilem trahit ad ſtatum ſibi naturaliter convenientem, & ipſum qværit eidem. *Adde locum Ciceronis, §. 8, 9.*

§. 7 Enimverò cùm natura noſtra non ſit αὐτάρκης (vv), ſed ad conſervationem ſui perfectionemq; rebus indigeat extra humanam eſſentiam poſitis: fieri non poteſt, qvin cogamur amorem noſtrum in res etiam alias transferre, à qvibus ſcil. bonum aliqvod exſpectamus. Id qvod φιλαυτίαν noſtram *compoſitam* reddit qvodammodò, evidenterq; diſtingvit a *ſimpliciſſimâ* DEI φιλαυτίᾳ. Qvem ſi Scaligero (x) licuit αὐταυτὸ vocare: qvid prohibet, ne ſit idem nobis φιλαυταυτ⊙ titulo, qvem invadere homini ſit nefas.

vv) Nemo a [illegible] *Stoicorum:* Sapientem ſibi ſufficere, *de qvo Lipſ. III. Manud. 10. At* [illegible] *II. M. m. 15.* [illegible]

x) Exerc. 365. ſect. 2.

§. 8. Pa-

qvàm nosmet ipsi. *Scholastici Theologi amant hoc argumentum tractare in Loco de Caritate.* (d) *Augustin. 1. de doctr. Chr. 22. Bernh. sive quis alius, III. de amore Dei, c. 15.* (e) §. 3. (f) *IX. Nic. 8. ab init.* (g) *IX. Nicom. 4. sub fin.* (h) *d. l. post med.* (i) *II. magn. Mor. 11.* (k) *ibid. & II. Pol. 3.*

§. 2. Qvoniam vero Amor ex eo est *appetituum* genere, qvi præviam cognitionem seqvuntur, & vocantur *eliciti*: tametsi vim diligendi sui *stirpibus* etiam interdum atqve *arboribus* (l) imò *naturæ omni* (m) tribuere solemus: tamen absq; Metaphorâ nullam substantiam φίλαυτον vocabimus, nisi qvæ sensu polleat, aut ratione. Tales sunt, *Brutum*, *Homo*, *Spiritus*, *DEUS* qvi modo qvodam eminentissimo (n) se amat. Atqve ex his solius *hominis* Philautiam contemplari propositum est nobis.

(l) *Cic. V. fin. p. 132.* (m) *id. IV. fin. p. 113:* (n) *vide aliqvid §. 7.*

§. 3. Ubi observabis, latius eam fundi, si *amorem* sui, qvàm si *amicitiam* secū interpretere, Patebit enim sic & in pueros, qvos alioqvi (perinde ut animantes brutas) amicos sibi vocari posse abnuit Philosophus (o) eo argumento, qvòd homo, cùm in pueritiâ simplex ejus esse constitutio videatur, mox ubi adolevit, proferente se adversùs cupiditates ratione, dissilire qvasi incipiat in naturas duas, (*duos homines* licebit cum Piccolomineo (p) vocare, *internum* & *externum*) Unde seqvitur, ut in *adultum* secum ipso comparatum cadere possit amicitia, in puerum non possit, qvippe qvæ multitudinem aliqvam copulandorum postulat (q). Aliqvo tamen modo *naturalem* qvoqve illam, à qvâ nec *pueri* alieni sunt, Philautiam habere, cur amicitia dicatur, infrà (r) videbimus.

(o) *VII. Eud. 6. prope fin.* (p) *Grad. VII. c. 18. p. 604.* (conf. *Augustin. XI. de C. D. 27. propè fin.*) *cujus tamen interpretationem eatenus improbamus, qvatenus illa dogmati Platonis §. 77. a nobis rejiciendo qvodqve in hâc distinctione & Porphyrius seqvitur citatus Stobæo Serm. 21. f. 184. affinis est. Adhuc aliter explicant hanc distinctionem Theologi. Qvorum à messe falcem abstinemus.* (q) *junge qvæ dicemus § 50. 51. Aliàs de discrimine* Amoris & Amicitiæ *consulendum c. 5. l. b.* VIII. *Nic.* r) § 24.

§. 4. Sed Aristoteles parum abest, qvin solius *adultæ* tra-

ctatio

ctationem suscepisse dicendus sit. Nec secus debuit fortasse. Nam qvi hoc argumentum non alibi perseqveretur ex professo, qvam ubi de perfectæ inprimis Amicitiæ naturâ laboraret (s), bonâ cum ratione seposuit illud Philautiæ (teremus in posterum vocem græcam.) genus imperfectum, qvod sua solius vi subnixum se non posset in perfectam amicitiam induere (t).

s) IX Nic. 4. & 8. VII. Eud. 6. II. magn. Mor. 11. 13. 14. t) vide qvæ notabimus § 65.

§. 5. Nobis alia mens. Non, ut ille, ab amicitiâ ad Philautiam, sed itinere contrario ab hac ad illam progrediemur: adeoqve principem curam non Amicitiæ impendemus, sed Philautiæ. Qvo magis accurandum fuerit, ne qvam ejus speciem censeamur præteriisse.

§. 6 Ergo si qvis universim Philautiæ notionem adumbrari sibi petat, vi nominis dicemus eam esse *Amorem hominis versus se ipsum.* Qvod ad rem attinet, commode finitur illa *Appetitus, qvo se homo in statu naturali (u) conservare & perficere studet ipso.*

u) Guill. Paris. de Virt. Vol. 1. oper. f. 64. Qvemadmodum pondus seu inclinatio corpus trahit ad locum sibi naturaliter convenientem & illum qværit eidem: sic amor iste omnem substantiam nobilem trahit ad statum sibi naturaliter convenientem, & ipsum qværit eidem. *Adde locum Ciceronis, § 8, 9.*

§. 7 Enimverò cùm natura nostra non sit αὐτάρκης (vv), sed ad conservationem sui perfectionemq; rebus indigeat extra humanam essentiam positis: fieri non potest, qvin cogamur amorem nostrum in res etiam alias transferre, a qvibus scil. bonum aliqvod exspectamus. Id qvod φιλαυτίαν nostram *compositam* reddit qvodammodò, evidenterq; distingvit a *simplicissimâ* DEI Φιλαυτίᾳ. Qvem si Scaligero (x) licuit αὐταυτὸν vocare: qvid prohibet, ne sit idem nobis Φιλαυταύτου titulo, qvem invadere homini sit nefas.

vv) Notum arrogans illud Stoicorum: Sapientem sibi sufficere, *de quo Lips. III. Manud. 10. Modestius noster II. M. m. 15.* οὐ γὰρ, εἰ ὁ Θεός ἐστιν αὐτάρκης καὶ μηδενὸς δεῖται, διὰ τοῦτ' ὐδ' ἡμεῖς ὐδενὸς δεησόμεθα.
x) Exerc. 365. sect. 2.

§. 8. Pa-

§. 8. Patet ex his interim, Philautiam hominis duabus qvasi *partibus* conflari, qvarum unam, qva simpliciter se qvisq; diligit, *introversam* vocabimus: alteram, qvâ in res extra se positas fertur sui gratiâ, *extroversam* (y).

(y) *Dicas Ciceronem has partes distinxisse III. fin. p. 93. dum ait,* simul atqve natum sit animal, ipsum sibi conciliari & commendari ad se conservandum, & ad suum statum, & ad ea, qvæ conservantia sunt ejus statûs, diligenda. *Caeterùm distinctionis hujus usus se proferet §. 38.*

CAPUT II.

DIVISIO IN SPECIES.

9. Philautia puerilis & adulta. 10. ab utrâ incipiendum? 11. Prior illa naturalis, 12. & imperfecta: 13. Posterior perfecta & acqvisita. 14 Homo animal multiplex. 15. Acqvisita alia recta, alia perversa. 16. Unde triplex in Universum Philautia.

§. 9. Qvid sit φιλαυτία hominis, qvasqve partes habeat, dictum est. Nunc in *species* eam suas diducamus, aut, si mavis in *gradus*. Jam ante (z) significavimus, in pueris aliam ejus faciem conspici, aliam in adultis, eoqve nomine separavimus *puerilem* ab *adulta*. Qvanqvam & alia præsto sunt vocabula, nec ea qvidem minùs apta, fortasse etiam magis. Vocabitur ergò illa *naturalis*, hæc *acqvisita*; *imperfecta* illa, *hæc perfecta*.

z) *§. 3. seqq.*

§. 10. Ac poteramus incipere à *perfectâ*. Qvod enim tale est, mensuræ vim obtinet comparatione imperfecti (a) Placet tamen hic vestigia seqvi naturæ ab *imperfectis* ad perfecta gradum proferentis. Sic enim meliùs momenta deprehendemus, qvibus ad laudabilem Philautiam homo elaboratur.

a) *infra §. 74. y.*

§. 11. Principiò, ut omne animal simul atqve natum est, seipsum diligit: Sic hominibus etiam adhuc parvis qvædam philautia inest, cujus virtute *salutaria appetunt, aspernanturq́; contraria* (b). Et hanc etiam philosopho suffragante *naturalem* appellamus: μὴ γὰρ οὐ μάτην, inqvit, (c) τὴν πρὸς αὐτὸν αὐτὸς ἔχει φιλίαν ἕκαστος ἀλλ' ἐστί τι φυσικόν. Plato (d): φίλος αὐτῷ πᾶς ἄνθρωπος φύσει ἐστί.

b) *Passim*

b) Passim hæc inculcat Cicero, imprimis II. *fin. p.* 71. III. *p.* 93. IV. *p.* 119. V. *p.* 130. *c)* II. *Polit.* 3. *d)* V. *de leg. f.* 342.

§. 12. Verùm valdè *imperfecta* est hæc in pueris. Qvi cùm usu rationis destituti non hominis, sed *animalis* vitam vivant, corpus tantúm, & qvæ huic prosunt, diligere solent, ut taceamus, errore qvodam sensuum ab iis sæpè noxia pro salutaribus appeti.

§. 13. Huic *imperfectioni* jam consulit *adulta* ætas, ubi maturescente paulatim judicio incipit homo tùm errores istos corrigere, tùm nobiliorem sui partem curare, & ut paucis multa complectamur, vitam *hominis* vivere. Et hæc Philautia, qvia non contenta naturæ bonitate, assvefactionem qvoqve postulat, à nobis *acqvisita* vocatur.

§. 14. Assvefactione & conatu qvodam perficiendi opus à naturâ inchoatum ideò indigemus, qvia rectam *Rationem*, mox ubi avocare hominem à corpore ad meliores curas aggreditur, gravis excipit adversaria *sensuum cupiditas*. Hinc bellum homini secum intestinum. Hinc hominem ipsum non simplex animal dicas, sed cum Cicerone *(e) multiplex*. Ubi è duobus alterum tandem evenit, ut aut ratio vincat, aut sensus: aut virtutibus animum expoliat homo, aut præpostero qvodam sensibus gratificandi studio, vitiis obruat.

e) I. de Leg. p. 160. *διὰ τὸ μὴ ἁπλῆν εἶναι ἡμῶν τὴν φύσιν*, VII. *Nic. ult. Repete qvæ* §. 3. *dicta.*

§. 15. Scilicet cùm primùm è pueris excessimus, illa se pandit ætas, in qvâ, ut eleganter Xenophon, ubi de bivio Herculis *(f)*, *οἱ νέοι ἤδη αὐτοκράτορες γιγνόμενοι δηλοῦσιν, εἴτε τὴν δι' ἀρετῆς ὁδὸν τρέψονται ἐπὶ τὸν βίον, εἴτε τὴν διὰ κακίας.* Qvo fit, ut ipsius Philautiæ acqvisitæ duæ esse formæ videantur, una *recta* *perversa* altera. Qvarum posterior qvo jure hoc nomen tueri qveat, infrà *(g)* dispiciemus.

f) ἀπομν. β. f. 429. *g)* § 39. & 43. *Q.* 2. & 3.

§. 17. Ita nobis in universum triplex *(h)* Philautia nascitur: *Naturalis*, Acqvisita *recta*, Acqvisita *perversa (i)*. Qvarum

dispares

dispares naturæ ut melius internoscantur, naturalem primò rectæ, posteà rectam perversæ curatiore studio comparabimus.

h) Ad Naturalem *quæ pertineant, multa reperies apud Ciceronem passim in libris de Finibus.* Acqvisitas *duas nemo Aristotele meliùs descripsit. i) Quam nos* rectam & perversam, *alii aliter,* Rectam *&* obliqvam *Javellus Tract.* III. *in Eth. Plat. Tom.* II. *ep. f. 235.* [illegible] *&* vitiosam *Gipbanius ad Polit. p. 275.* oculatam *&* cæcam, *alteri* Regiam *&* Tyrannicam *Piccol. Grad.* VII. *c. 18. p. 605.*

CAPUT III.
OCTO DISCRIMINA PHILAVTIÆ NATURALIS ET RECTÆ.

17. *Primum* à subjecto. 18. *Secundum* à principio. Natura & Ratio differunt. Prima & secunda naturæ. 19. *Tertium* ab Objecto. 20. *Qvartum* ab effecto. 21. *Qvintum* à modo efficiendi hominem. 22. *Sextum* ab extensione per ætates. 23 *Septimum* ab extensione per homines. 24. *Octavum* à moralitate.

§. 17. Inter Naturalem & rectam hoc *primo* loco interest, qvòd illâ in *appetitu sensitivo* (i) nidulatur, hæc in *voluntate* principem sedem habet.

i) imò ingenitum cuiq; sui ipsius amorem fontem cæterorum omnium affectuum *vocat Muretus in Cic. Catil. 1. p. 422.*

§. 18. Cui connexum est *secundum*, qvòd illam *sensus*, hominem tùm corporis sui, tum rerum sustinendæ vitæ proficuarum cognitione imbuens: hanc *intellectus* & in se reflexus, & sui boni notitiam adeptus excitat (*k*). Qvò pertinet, qvòd illius principium est *Natura* (*l*) prout ea solet à Ratione distingvi (*m*); hujus recta *Ratio*. Unde ut illam ad *prima Naturæ* videmus referri (*n*): ita hanc ad *secunda Naturæ* (sic enim vocare liceat ea principia, in qvibus Cicero honestum (*o*) & sapientiam *p*) locat,) revocare omninò debemus.

k) Vide in hanc rem loces prolixiusculos Ciceronis V. de fin. p. 130. & p. 134. juxta quos interpretandus alius ejusdem lib III. *p. 93. Aug.* XI. *de C. D. 26,* Sine ullâ phantasiarum vel phantasmatum imaginatione ludificato-

ficatoris mihi esse me, idqve nosse & amare certissimum est. *De noti-tiâ sui plura* §. 25. (l) *Vid. Cic. V. fin. p. 130. 131. ubi hoc probat ab absurdo Seneca V. de Benef. 9.* Nemo sibi beneficium dat, sed naturæ suæ paret, à qvâ ad caritatem sui compositus est, &c. *Gellius locum huc facientem descripsimus* §. 1. b. *Aristotelis & Platonis* § 11. *alios ex Egesippo & Augustino dabimus* §. 21. n. *Bernh. c. 8. de diligendo Deo*: Nec præcepto indicitur, sed naturæ inseritur. Qvis enim carnem suam odio habuit? m) *distingvis aliqvoties Gell.* XII, 5. Recta ratio, *ait Piccol. Gr* VI. *c. 10. p. 564.* suprà Naturam est collocata, inspiciens honestum, idq; bonum corrigens, qvod ad corpus pertinet. § 27. *aliter utemur voce Naturæ.* n) *inspiciendus Cic.* III *fin. p. 93. seq. Gell.* XII 5. *Quibus, si placet, adde Huer. VVolf. annot. in Morell. Tab. de doctr. vet. philos. p. 18.* o) III. *de fin. p. 94 95.* p) *ibid. p. 95. Quod hic sapientiam Cicero, Grotius rectam rationem vocat L. de I. B 2. §. 1. p. 14.*

§. 19. Connexum præcedentibus & *tertium* est, qvòd illa *corporis* & huic *jucundarum* rerum & *utilium* unicam (q), hæc *animi* & *honestatis* potiorem curam habet.

q) *Cic. d. l. p. 94:* non est in primis naturæ conciliationibus honesta actio. *Adde quæ docentur* §. 45.

§. 20. Unde qvodam modò & *qvartum* intelligas, videlicet qvòd illius opus præcipuè est *conservare* (r) id, qvod diligit; hujus *perficere*, seu perfectionem illi suam addere (s) Animus enim noster non tam conservari, cum sit immortalis, qvàm perfici flagitat. Ubi admirari decet, sapientiam Creatoris, qvi ætati infirmæ, ad excolendumq; animum inhabili corporis tantisper tuendi amorem insevit, dum hoc ad maturitatem perducto vis illa mentis expergiscatur.

r) conservandi *verbo in hac re utitur Cicero* III. *fin. p. 93. IV. p. 113 V. p. 130. & alibi passim.* s) *Id. V. fin. p. 134.* primus appetitus animi tantum agit, ut salvi atqve integri esse possimus: cùm autem dispicere cœperimus & sentire, qvid simus, & qvid ab animantibus cæteris differamus, tùm ea seqvi incipimus, ad qvæ nati sumus.

§. 21. E superioribus & *qvintum* pendet, qvòd illa hominem sibi *ut animal*, hæc *ut hominem* commendat. Qvâ in re jure à Balth. Gomezio (t) reprehensus est Soto statuens, *incli-*

 natio-

nationem ad conservationem vitæ homini competere ratione speciei, quatenus homo est, cum tamen certum sit, hanc nobis inclinationem cum animantibus cæteris, etiam ferissimis, etiam vilissimis, esse communem (u),

t) *lib.1.de potest. in seips. c. 7.n.4.* u) Qvibuslibet, feris licet, atq; agrestibus insitum est se amare. Naturæ enim lex valida est, velle vivere, nec sibi mortem asciscere, *Egesipp.* III. *de Ext. Hier.17.cit. Gemetz. d. l. n.2.* Præcepto non est opus, ut se qvisqve & corpus suum diligat: id est, id qvod sumus, & id qvod infrà nos est, ad nos tamen pertinet, inconcussâ Naturæ lege diligimus, qvæ in bestias qvoqve promulgata est. Nam & bestiæ se atqve corpora sua diligunt, *Augustin. 1. de doctr.* Chr. *26. Adde eund.* XI. *de* C. D. *27. Cic. Lal.p.111. & V.fin.p.* 131. 132.

§. 22. *Sextò*, illa se per *omnem ætatem*, non solam pueritiam diffundit: (naturali enim Philautiæ superveniens acqvisita non abolet eam, sed vel perficit (vv). vel distorqvet: hanc in *adultos* cadere, non item in pueros, jam prædiximus (x).

vv) *vide supra* §.13. *& infra* §. 21. x) § 3.

§. 23. Similiter *septimò* illa *probis* juxtim *& improbis* y) hominibus communis est; hanc non nisi in *viris bonis* (z) reperias. Itaqve Auctorum ea loca (a) qvæ philautiam *omnibus* tribuunt hominibus, de hâc naturali interpretabimur.

y) *Cic.* III *fin.p.102.* seipsos omnes naturâ diligunt: --- ita & qvoddam commune officium sapientis & insipientis. z) §. 30. a) *Ex Aristotele quadam afferemus* §.54. k. ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ *Eurip. in Med.* φιλεῖ δ' ἑαυτοῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα, *Menand.* Neqve qvis facere potest, qvin seipsum amet, *Galen. c. 2. de cogn. & cur. an. morb. Terentii And.* II.5. *& Plauti in fin. Asin. loci noti sunt. Apud Cic. in de fin. sunt propè infiniti. Etiam illud Apostoli Eph.5.v.29.* Nemo unqvam carnem suam odio habuit, *huc trahunt Aug.* I. *de doctr.* Chr. *24. & Bern. cujus locum qvære* §.18. *l.*

§. 24. Deniqve *octavò* illa aut nullo modo (ut in pueris,) aut tantum *per participationem* (ut in adultis;) hæc *per essentiam* rationalis est. Enimverò qvod est in pueris *moralitatem* eam, qvam philosophia considerat, nondum habet: habet tamen

boni

boni (b) pariter & mali (c) qvædam ſemina. Qvæ ubi adolevére, aut in rectam Philautiam efflorescunt, aut in perverſam. Qvarum nobis jam inſtituenda eſt collatio, prorſus inter ſe qvaſi capituli odio diſſidentium, ut è ſeqventibus perſpicietur.

b) Cicero virtutum igniculos, ſemina, ſcintillulas vocat, V. fin. p. 128. & 135 III. Tuſc. p. 190. c) Hinc Platoni V. de Leg. f. 842. philautia perverſa eſt κακὸν ἔμφυτον ἐν ταῖς ψυχαῖς. An contradicis Giphanio, dum p. 175. ad Polit. laudabilem Philautiam naturâ inſitam eſſe affirmat, vitioſam negat? Non contradicit. Vult enim, illam ſecundùm, *hanc* præter *naturam, rectam ſcilicet, eſſe. De quo nos §. 27.*

CAPUT IV.
OCTO DISCRIMINA PHILAUTIÆ RECTÆ ET PERVERSÆ.

25. *Primum* à Principio. 26. *Secundum* à proportione ad rationem rectam. 27. *Tertium* à proportione ad Naturam. 28. *Qvartum* ab influxu in philautiam Naturalem. 29. *Qvintum* ab Objecto. 30. *Sextum* ab Adjuncto. 31. *Septimum* ab influxu in facultates animæ. 32. *Octavum* ab influxu in virtutes & vitia. 33. Philautia Metonymica. Tranſitio ad caput ſeqvens.

§. 25. *Primò* rectam Philautiam gignit *vera ſui cognitio* (d) perverſa *falſa*, qvam melius *ignorantiam ſui* appelles (e). Is autem *verè ſe noſcit*, qui & animam ſuam, ut partem ſui potiorem corpore magis diligendam ſibi, & ejus bona cæteris præferenda judicat, ſuamq; tum indigentiam, tum indignitatem animadvertit. Contraria perſuaſione imbuti *ſibi* reverâ, etſi ſe credant notiſſimos eſſe, *ſunt ignoti*. In *veram* ſui notitiam illud interpretare Apollinis Pythii reſponſum Crœſo, ſi Xenophontem f) audimus, datum: *σαυτὸν γιγνώσκων εὐδαίμων Κροῖσε περάσεις: Crœſe, beatus eris, ſi te cognoveris ipſum* (g): In *falſam* illud Tiræſiæ: qui à matre Narciſſi rogatus, eſſetne ad ſenectutem filius perventurus? *ſi ſe non noverit*, inqvit, ut eſt apud Ovidium (h). De hoc enim, vultum ſuum in aqvis intuente, & inde in ſui amorem excandeſcente idem canit Poeta (i) *corpus putat eſſe, qvod umbra eſt*. Qvod veriſſimè uſurpes in perversè

philautos; qvorum imago Narcissus (k). Nam & his, ut sea-ment, corporis sui prava admiratio causa est.

d) Alsted. XXI. Encycl. 11. reg. 5. Tom. III. f. 93. Conf. suprâ §. 18. De sui cognitione praeclara legitur Oratio Mureti 10. Vol. 1. e) Timpl. II. Eth. 2. q. 7. p. 148. conf. Keck. I. Eth. 3. Can. gen. 8. Tom. II. Syst. p. 809. f) VII. *Cyrip. f. 108 ed. grae. Steph. Quâ fide* Cyripedia *scripta sit, notum est. Itaque apud veteres, cum illud Apollinis:* Nosce te ipsum. *recitant, non temerè alibi reperias mentionem Croesi. Macrob. I. in Som. 9. nomen consulentis nullum exprimit. Chilonem nominat Clearchus teste Porphyrio apud Stob. f. 183. Herodotus in Clio cùm varia memoret Dei Delphici ad Croesum oracula, hoc tacet, Interim templo ejus* γνῶθι σεαυτὸν *inscriptum fuisse, sexcenti sunt, qui confirment, loci, & in his Xenophontis unus è δ. ἀπομν. f. 463. g) sis latinè redditum legitur apud Alsted. Tom.* III. *Encycl. f. 53. h)* III. *Metam. fab. 8. i) d. l. k) Narcissum vulgò imaginem faciunt philautia, qva in* intellectu *est. vid. §. 36, nos hic ejus, qva in* appetitu. *Neutrum fabula repugnat.* Illam *repraesentat Narcissus, qvatenus, qvod umbra est, corpus esse putat;* hanc *simpliciter, qvatenus se vel corpus suum amat. Conf. Marsil. Ficin. in Conv. Plat. Or. VI. c. 17.*

§. 26. Qvod si maximè philautia perversa nom errat judicando, (manet enim in qvamvis corruptis & perditis judicii(l) aliqva veritas:) tamen *secundò* à rectâ hoc differt, qvòd hæc auctor est homini, ut *rationis* atqve adeo conscientiæ *recta jussiones audiat;* illa, ut *aspernetur,* & conculcet. Qvocircà rectè Aristoteles hæc duo sui amantium genera tantum differre ait, ὅσοι τὸ κατὰ λόγον ζῆν ἢ κατὰ πάθος (m). Cui consentiunt hæ definitiones Anonymi scriptoris Christiani (n). *Φίλαυτος μὲν ἀληθῶς ἐστὶν, ὁ φιλῶν ἑαυτὸν ὀρθῶς, καὶ παντοίαις κοσμῶν ἀρεταῖς. φίλαυτος δὲ καὶ τοὺς πολλοὺς ὁ φιλῶν ἑαυτὸν ἐμπαθῶς.*

l) Camerar. in IX. *Nic. p. 423. Burid.* IX. *Eth. q. 4 f. 196 m.)* IX. *Nic. 8 quam in sententiam plura passim tùm hoc tùm capite. n) περὶ ἀρετῶν ed. à VVegel. c. 25. p. 38.*

§. 27. Unde *tertium* discrimen intelligitur, in Eudemiorum libris o) observatum. Est enim recta Philautia *secundum naturam,* perversa *præter Naturam.* Nempe, ut alibi p) scriptum est, ὅτι κατὰ φύσιν καὶ συμφέρον τὸ ἄρχεσθαι τῷ σώματι ὑπὸ τῆς ψυ-

χῆς

χῆς, καὶ τοῦ παθητικοῦ μορίου ὑπὸ τοῦ νοῦ, καὶ τοῦ μορίου τοῦ λόγον ἔχοντος· Qvod Augustini q) verbis sic enuncies: *Naturalis ordo desiderat, ut concupiscentia carnis spiritui subjugetur.*

o) VII. 6. *Stoicis finis erat bonorum*, secundùm Naturam vivere, *Lips.* II. *Manud. diss.* 14. *ubi* Naturam *cave opponas* Rationi, *ut* §. 8 *factum*, *cùm hic sit ipsa recta ratio. vid. Lips. d. l. diss.* 17. *conf.* §. 24. c. p) I. *Polit.* 3. *quo in capite plura hunc locum egregiè illustrant. Add. Plat. V. de Leg. ab init.* q) 1. *de doctr. Chr.* 24.

§. 28. Pendet hic & *qvartum*, qvod jam suprà r) innuebamus, naturalem philautiam, si in rectam adolescat, elevari ac *perfici*, si in perversam, deprimi ac *distorqveri*. Corrigit enim recta naturalem, ejusqve impetum sæpè nimis effusum freno cohibet rationis. Qvo pacto ex animali non dicam hominem facit, sed aliqvid homine augustius s) sicut vicissim perversa philautia, tùm irrationali parti animæ gratificatur (t) qvàm ex Platone multorum capitum belluam vocat Eustratius u), ex homine qvasi *brutum* facit w).

r) § 22. & 24. s) qvomodo per virtutem homo reddatur similis Deo. *Pufend. grad.* IV. c. 15. t) IX. *Nic.* 6. *Anonym. p.* 39. u) *ad* IX *Nic.* 4. *f. m.* 251. & 252. w) *hoc Anonymus p.* 38. ἀποκτηνοῖ. Homo brutis assimilatus, *Rittershus.* IV. *Sac. lect.* 9. *Adde pulcherrimum locum Nemesii c.* 1. περὶ φύσ. ἀνθρώπου.

§. 29. Atqve hoc *qvintum* est. Rectus amator sui præcipuam curam *animi* x) gerit, atqve *honestatis* y) perverso contrà *corpus, divitiæ, honores, voluptates* z) in summo pretio sunt. Itaqve illi φίλαυτος vocatur τὴν κατὰ τὸ καλὸν αἵρεσιν hic τὴν κατὰ τὸ συμφέρον, καὶ καθ' ἡδονὴν a) illud φιλάγαθον (b) videas, hunc φιλοσώματον c) similibusqve nominibus d) appellari.

x) τοῦ διανοητικοῦ IX *Nic.* 4. y) διὰ τὸ καλὸν πάντα πράττει, *b. c.* 8. z) *locum infra dabimus* § 32 k. a) II. *M. m.* 13. b) *ib. c.* 14. ἔστι μὲν οὖν ὁ ἀγαθὸς ὁ φίλαυτος μόνος, ἐπείπερ φιλεῖ αὐτὸς ἑαυτόν, ὅτι ἀγαθός. *Sic enim interpungendum legendumque cum Sylburgio. Nam vulgata lectio talis est, ut ignosci debeat Averbachio p.* 420. *Enarr. M. m. mentem Aristotelis non sine reprehensione in alia omnia vertenti.* c) *Plato in*

 Phædone

Phædone f. 52. Javell. Epit. in Ethic. Plat. Tract. 3. c. 7. Tom. II. op. f. 292. Et hinc Philautia perversa definitio apud Antonium Monachum scriptorem Melissæ lib. II Serm. 75. f. 141. è Maximo & Varinum in Lex f. 1832. Φιλαυτία ἐστὶν ἡ τοῦ σώματος (ἀλόγου) φιλία. d) Anon. περὶ ἀρ. p. 38. Φίλαυτος κατ' τοὺς πολλοὺς ὁ φιλόψυχος, ἤγουν φιλόζωος (videtur respexisse ad illud Salvatoris: ὁ φιλῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἀπολέσει αὐτήν, Joh. 12. 25 ὁ φιλοπρωτεύς τε καὶ φίλαρχος.

§. 30. Consentaneum præcedentibus *sextum* est. Qvi rectè se diligunt, hos *laude* proseqvimur, ut viros *bonos*; qvi perversè, *detestamur* eos ut *improbos* & neqvam *e*).

e) IX. *Nic. 8. Anonym. p. 39.*

§. 31. *Septimò*, Recta Philautia *pace inter rationem & appetitum* constitutâ *f*) hominem sibi ipsi verè *amicum* & concordem: è diverso dissidentem à se ipso sibiqve *hostem g*) perversa facit, dum perpetua *seditione facultates animæ* scinduntur. Qvamobrem & illa *amicitiarum* cum aliis, hæc discordiarum inter homines & *bellorum* fons habetur *h*).

f) *ὅταν συμφωνῶσι πρὸς ἄλληλα ὅ, τι λόγος καὶ τὰ πάθη. II. M. m. 11. Augustin. I. de doctr. Chr. 24. Anonym. p. 39. Referas huc licet ὁμολογίαν Stoicorum, de quâ Cic. III. de fin. p. 94. Lips. II. Manud. 15. adde §. 32. i. g*) *vid. Giphan. Comm. ad Nicom. p. 730. h*) *Hæc omnia copiosè Aristoteles toto cap. 4. lib. IX. Nicom. exeqvitur, & nos eadem tangemus uberiùs cap. VI. q. 2. §. 40. Q. 6. §. 51. 52. & q. 7. per tot.*

§. 32. *Deniq;* Philautia recta *virtutis universæ i*), perversa *vitiorum k*) radix est, Qvod non de *moralibus* tantùm, sed & *intellectualibus* capiendum qvodammodò, Qvanqvam enim ignorantia sui perversæ philautiæ causa est *l*): tamen ut in rectâ Philautiâ qvo majores qvisqve progressiones facit, hoc magis infirmitatem ac nuditatem agnoscit suam: sic ille sui præposterus amor in fontem suum subinde regurgitat, & pestilentissimum hominis errorem qvotidianis auget incrementis, ut se ipse & opus suum, cùm despuere debeat, aut certè ex vero æstimare, admirabundus suscipiat ac veneretur *m*).

i) *Nam qvi rectè sui amore incensus est, laborabit, ut vires animæ ceteras*

ceteras

teras subjiciat τῷ διανοητικῷ. χαρίζεται ἑαυτῷ τῷ κυριωτάτῳ, καὶ πάντα τούτῳ πείθεται, IX. Nic. 8. *Quod ubi fit, nascitur illa virtutum complexio, quam §. prae.* pacem inter rationem & appetitum *vocabamus, veteres* Justitiam(*universalem hominis ad se ipsum*) *dixere. Conf. locum Anonymi §. 26 prolatum k) Plato V. de Leg. f 842* Τὸ δὲ ἀληθείᾳ γε πάντων ἁμαρτημάτων, διὰ τὴν σφόδρα ἑαυτοῦ φιλίαν, αἴτιον ἑκάστῳ γίγνεται ἑκάστοτε. *De Platonis ergò sententiâ res clara. Vid. Jamell. Tom. II. f. 292. Aristotelis mentem haec nobis aperiunt, IX. Nic. 8.* Φιλαύτους καλοῦσι τοὺς ἑαυτοῖς ἀπονέμοντας τὸ πλεῖον ἐν χρήμασι, καὶ τιμαῖς, καὶ ἡδοναῖς ταῖς σωματικαῖς. *Tria nominat,* divitias, honores, voluptates. *Hae tria, nec plura sunt, quae veteres Pythagorei (vide horum fragmenta p. 471. & 475. ed. Zuerg.) olim hominibus dicebant ad omnem* Injustitiam (*justitiae universali oppositam.*) *duces esse. Hae ipsa tria sunt, quibus S. Johannes dilectionem mundi dilectioni Dei oppositam, circumscribit, Epist. 1. c. 2. v. 16. Quod dictum citans Radulfus Ardens ad tres tentationes Christi Matth. 4. (quem in omnibus tentatum scimus, Heb. 4, 15. accommodat, Homil. in Evang Dom. I. Quadrag. p. 246. Conf. Hug.* Grot. II. *de I. B. c.* 20. §. 29. *Apposite ad rem praesentem Augustinus* XIV. *de Civ. D. 28.* Fecerunt itaque Civitates duas amores duo, terrenam scil. amor sui (*perversum intellige,*) usque ad contemptum Dei: coelestem verò amor Dei usque ad contemptum sui. *Maximus ap. Anton. Monach* II. *Meliss. 75.* ἐξ αὐτῆς δὲ (φιλαυτίας) τίκτεται ὁ τῆς γαστριμαργίας λογισμὸς, καὶ ὁ τῆς κενοδοξίας, ἐκ δὲ τούτων τίκτεται ἅπας ὁ τῶν λοιπῶν κατάλογος. *l) §. 25. m)* Amor privatus, quem ergà me ipsum habeo, aufert mihi verum judicium de me ipso. A*uctor. Tract. de inter. dom. c. 37. (legitur. inter. opera Bernh. Tom. V. ed. Merl. f. 162.) Sententiae similes passim habentur. Plato ap. Stob. f. 186.* πολλάκι γὰρ τὸ φίλαυτον ἐπικρύπτει καὶ περιβάλλει. *Illud ejusdem V. Leg. f 842. de hac ipsa re:* τυφλοῦται περὶ τὸ φιλούμενον ὁ φιλῶν. *celebre est: quod ex eo repetunt & expolivnt Plutarch. init. Comm. quomodo possis Adulator ab amico internosci, & Galen. c. 3. de cognosc. & cur. an. morb. Etiam Aristotelis suum de se cujusq; judicium suspectum* III. *Pol. 6.*

§. 33. Hic error illa *philautia* est, qvam *metonymicam* vocare placet. Certè enim, si verborum studeas proprietati, non amor ipse est, sed amoris hujus sive mater, sive soboles. Qvi tamen Philautiæ nomine non raro citari solet, non pigebit illi adhuc separatas impendere lineas.

Caput

CAPUT V.
PHILAVTIA METONYMICA.

34. philautiæ vox pro opinione de se nimis magnificâ. 35. qvæ est propriè vitium facultatis cognoscentis. 36. sub Narcissi & simiæ imagine depictum. 37. Transitio ad caput seqvens.

§. 34. Sic enim est: τῆς φιλαυτίας vocabulo sæpe videas apud scriptores venire errorem illum, qvo sibi homo ipse de operibus suis majus qvàm par est, pretium statuit. Cicero de Academicis suis: *Libri quidem ita exierunt (nisi me communis φιλαυτία decipit) ut in tali genere ne apud Græcos quidem simile quicquam* n). Neqve alius est Horatio in odis o) cœcus *amor sui*, qvem alibi p) stultum vocat & improbum. Imò hâc notione Philautiæ vox propè magis trita in vulgus. Anonymus περὶ ἀρετῆς q): ἰδίως παρὰ τῇ συνηθείᾳ φίλαυτος ὁ αὐθάρεστος, ὅτῳ ἐκ τοῦ φιλεῖν τὸ ἑαυτοῦ νόημα, κἂν μοχθηρὸν ᾖ. Sanè qvi communes locos constipaverunt titulo τῆς φιλαυτίας r) non pauca subjiciunt, qvæ de isthâc sui deceptione sonent.

n) XIII. *ad Att.* 13. *o)* I. *Od.* 18 *p)* I. *sat.* 3. *v.* 24. *q)* *c.* 25. *p.* 39. *r)* *Legere est hunc titulum ap. Stob. Serm.* 23. *Anton. Monach.* II. *Meliss. serm.* 75. *Maxim. monach. serm.* 70. *Zwing. Mor. Phil. Poet. Lib.* I. *c.* 7. *p.* 143.

§. 35. Hanc deceptionem vitium esse contendimus facultatis non *appetentis*, sed *cognoscentis*, ut adeò cum propriè dictâ Philautiâ confundi s) non debeat. Committitur enim judicando. Itaq; Anonymus φίλαυτον talem rectè interpretatur αὐτάρεσκον. Aliud autem est ἀρέσκειν, aliud φιλεῖσθαι. Qvod bonum judicatur, *placere* dicitur: quod sic judicatum appetitur, *amari*. Seqvitur hinc, ut illa αὐθάδεια seu αὐταρέσκεια non nisi per tropum nominari possit φιλαυτία, sive *metaphoram* t) appellare qvis velit, sive nobiscum *metonymiam*.

(s confundere videtur Erasmus Adag. 292. t) Ναὶ ὅπερ ἐν διανοίᾳ κατάφασις καὶ ἀπόφασις, τοῦτ' ἐν ὀρέξει δίωξις καὶ φυγή. VI. *Nic.* 2.

§. 36. Atqve hanc Philautiam in fabulâ *Narcissi* adumbrare voluisse Poetas consentiunt eruditi u). Eadem insuper effigie

effigie *Simia* indicatur, eò qvod huic bestiæ proles sua, qvamvis turpissimam habeat, mirè tamen formosa videatur vv).

u) Georg. Sab. interp. Fab. Ovid. lib. III. J. Lud. Gottofr. in Φρ. Metam Ovid. lib. III. p. 60. A ciat. Embl. 69. Barthol. Anulum in picta poesi. Claud. Min. ad Embl. Alc. p. 294. Massp. imag. p. 303. Monuimus ad hoc aliqvid §. 21. k. vv) vid. Schwvelenb. lib. VI. aph. Hierogl. p. 40. Conf. Kirk. II. Syst. p. 810. Alst. Tom. III. Enc. f. 54. Franz. t. Hist. anim. 24. p. m. 263.

§. 37. Jecimus hactenus fundamenta, è qvibus exstrui possint plerarumq; solutiones *Qvæstionum*, qvas de Philautia moverit aliqvis. Earum nos duo constituemus genera, *Theoreticas & Practicas*. Incipiamus à Theoreticis.

CAPUT VI.

QVÆSTIONES THEORETICÆ.

38. *Prima*: An Philautia Naturalis sit appetitus elicitus? 39. *Secunda*: An Philautiæ vox propriè tribuatur rectæ an perversæ? 43. *Tertia*: Qvalis sit divisio philautiæ in rectam & perversam? 45. *Qvarta*: An Philautia recta sit species virtutis particularis? 47. *Qvinta*: an eadem duo habeat extrema? 48. *Sexta*: An hominis ad seipsum sit amicitia? 58. *Septima*: Qvomodo Philautia sit fons omnis amicitiæ? 76. *Octava*: An Aristoteles hic adversetur Platoni? 78 *Nona*: An religioni Christianæ?

§. 38. Qværitur primò: *An Philautia naturalis sit appetitus elicitus? x)* Resp. Est qvoad partem *extroversam y)*. Nam qvoad *introversam* qvia sentiens anima z) converti in semetipsam non potest, appetitus merè naturalis vocabitur.

x) ut innuebamus §. 2. y) distinctionem hanc repete è §. 8. z) cujus facultates hoc philautiæ genus non egreditur, vid. §. 17. 18. 21.

§. 39. Qværitur secundò: *Utrum Philautiæ vocabulum propriè tribuatur rectæ an perversæ?* Resp. Ante omnia distingvendum hic inter proprietatem verborum *Grammaticam*, qvæ est ex origine, & *popularem*, qvæ ex usu a) Etenim *popularis* loqvendi consvetudo neminem virum bonum appellare solet

φίλαυτον b), ſed hoc nomen vulgò pro convicio ſpargitur in homines improbos c), avaros ſcil. ambitioſos, voluptarios d), aut ſibi per vanitatem placentes e), adeò ut ne ſacræ qvidem literæ f) aliter uſurpent.

a) Utitur hac diſtinctione Grotius II. de I. B. 16. §. 8. b) IX. Nic. 8. οὐθεὶς ἐρεῖ φίλαυτον τοῦτον c) ib. ab init. cap. II. Polit. 3. τὸ δὲ φίλαυτον εἶναι ψέγεται δικαίως. οὐκ ἔστι δὲ τοῦτο (ſc. ſi vulgarem loqvendi conſuetudinem ſpectes) τὸ φιλεῖν ἑαυτὸν, ἀλλὰ τὸ μᾶλλον ἢ δεῖ φιλεῖν, καθάπερ καὶ τὸ φιλοχρήματον. d) IX. Nic. 8. quem locum expoſuimus §. 32. k. e) Anonymi in hanc rem verba dedimus §. 34. ubi illud ἰδίως παρὰ τῇ συνηθείᾳ ad hanc popularem proprietatem ſatis manifeſtè reſpicit f) II. Tim. 3. 2.

§. 40. Qvanqvam autem hi tales præ ſe negligunt cæteros ac contemnunt: tamen ſi animadvertas, potiorem hominis partem eſſe animam, ut hæc propè homo ipſe cenſeri qveat, in qvam iſti peſſimè conſulunt; ſi item cogites, amorem illum præpoſterum in ſummam ipſorum perniciem vertere, ut *odium* potius vocari debeat g): *origini* vocis magis conſentaneum eſt, ut viros bonos non jam per opprobrium, ſed honoris ergò φιλαύτους vocemus, qvippe qvi & ſui & rerum homini bonarum optimam partem in cariſſimis habeant i). Atqve hoc docuiſſe Ariſtotelem in Nicomacheis k) etiam pueri ſciunt.

g) Auguſtin. l. de doctr. Chr. 23. VII. Eud. 6. Adde §. 31. g. & 43. a. h) Philautia duo dicit, 1. amorem*, 2.* ſui. *Veri mali non tam amant,* qvàm *oderunt ſe, aut ſi amant. non tàm ſe, qvàm* aliqvid infrà ſe, *ſic enim corpus hominis Aug. d. l. appellat. Pars modo Anon. p. 39. diſtingvit inter φιλεῖν αὐτὸν, i. e. τὸν νοῦν, & φιλεῖν τὸ αὐτοῦ i. e. τὸ σῶμα, i) per §. 29. & 31. k) IX. 8.*

§. 41. Rurſum, ſi *vim vocabuli* in eo reponas, ut is propriè amare ſe dicatur, *qvi amori ſuo planè nihil, qvod ſemet ipſo præſtantius ſit, proponat*: non inficiamur, improbos magis Philautos videri. Boni enim diligunt & ipſi ſe qvidem, ſed ita ut qvòd in ipſis eſt τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν, aut potius, fontem boni Deum l) anteferant ſibi, majorque adeo ſit eorum φιλαγαθία qvàm

qvàm φιλαυτία. Contra viro malo, ut qvi naturæ humanæ melioris consortio destitutus est, hoc restat videlicet, ut ultimum amoris impetum (qvàm scelestè, hic nihil attinet expendere,) in se unicè profundat. Hic sensus est eorum, qvæ in magnis Moralibus disserit Aristoteles peregregio textu m), sed qvo nollem abusum esse doctissimum Giphanium n) ad subruendũ propè decretum Nicomacheorum. Nam ne in his qvidem negatur, cùm suâ causâ mali agant omnia, viro bono majorem esse honestatis, qvam vel propriæ incolumitatis provisionem o). Itaqve rectè constitutum utrumqve est, & scelestos homines non se propriè, verumqve animi sui bonum, sed corpus suum, aut cupiditates amare: & iisdem cariores esse se, qvàm DEUM atqve honestatem. Ut adeò vocabuli variatis interpretationibus improbi æqvè ac probi habeant, cur propriè Philauti vocentur.

l) vid. §. 81. m) lib II. c. 14. ab his verbis ἔστι μὲν οὖν, qvæ recitavimus §. 29. b. usqve ad finem hujus capitis: διὸ καὶ οὗτος (φαῦλος) ἂν κυρίως λέγοιτο φίλαυτος. Nam, ut proximè præcedit, αὐτὸς ἑαυτὸν φιλήσει ἢ αὐτός. At vir bonus se diligens qvasi alium *diligere videtur, qvod pulcherrimè exponentem vide Jac. Schegk. comm. in Eth. f. 524. seqq. n) Comm. in Nicom. p. 746. 748 o) IX. Nic. 8. sub init.*

§. 42. Qvæ cum ita sint, cur tamen in ore vulgi vitiosa tantùm illa affectio philautiæ nomine celebretur, rationem Philosophus hinc rectè promit, qvia pravorum hominum major ubiqve sit copia p) qvibus cum alia vix nota sint bona, qvàm corporis illa & fortunæ, qvi de his liberaliter prospiceret sibi, philautum dicendum putavere; qvi projiceret eadem & aliis relinqveret, non dicendum Similem in modum alibi q) causam exponit, cur voluptatis nomen animi debitum deliciis, illæ corporum svavitates occuparint.

p) ib. ante med cap. q). VII. Nic. 13.

§. 43. Qværitur tertiò: *Qvalis sit divisio philautiæ in rectam & perversam?* Resp. Distinctionem *æqvivoci* agnoscit hic

 Eustra-

Euſtratius r). Nec alia mens Anonymo s) in his: *διττῆς δὲ τῆς φιλαυτίας γινωσκομένης, τῆς μὲν ὄντως, τῆς δὲ δοκούσης, καὶ κατὰ τοὺς πολλούς. t)*. Nempe qvoniam improborum philautia verè *odium eſt*, amoris ſpecie fallens u). Qvo pacto vix eſt, ut illi definitionem Philautiæ ſuprà poſitam vv) qveamus applicare. Non enim facit ad ſtatum hominis *naturalem*, ſed *præternaturalem x)*: non *conſervat* ac *perficit*, ſed *deſtruit* & *corrumpit y)*.

r) ad IX. Nic. 8. s) init. c. 25. p. 38. t) VVegelin. in marg. & p. 453. legere jubet τε φύς. Sed deceptus eſt in eo, qvod putavit hæc verba copulanda eſſe cum ſeqventibus, cùm ad præcedentia ſpectent. Qvare nihil mutandum. u) §. 40. g. Euſeb. ap. Stob. f. 189. πολλοὶ δοκέοντες ἑωυτοὺς φιλέειν, οὐ φιλέουσιν ἀληθέως. vv) §. 27. y) §. 28.

§. 44. Veruntamen qvatenus utcunqve comitem habet philautiam *naturalem z)* pati poſſumus, ut philautiæ ſpecies habeatur ſaltem *analogica*. Favet illud Ariſtotelis *ὥστε καὶ ἡ αὐτοῦ πρὸς αὑτὸν φιλία ἀνάγεται πρὸς τὴν τοῦ ἀγαθοῦ a)* & qvod virum bonum vocat *φίλαυτον καθ' ἕτερον εἶδος τοῦ ὀνειδιζομένου b)*.

z) per §. 22. a) VII. End. 6. b) IX. Nic. 8.

§. 45. Qværitur qvartò: *An Philautia recta ſit ſpecies virtutis particularis?* Reſp. Sic videtur Timplero c) & Alſtedio d.) Qvi porrò *extrema* illi duo aſſignant, in *exceſſu* Authadeian, in defectu Autoſtygian. Keckermannus e) tametſi & ipſe philautiam extremis ſuis f) mediam interjicit: tamen eam non ſpecialem virtutem facit, ſed *affectum* qvendam *communem*, qvi gubernet omnes virtutes morales. Qvæ omninò verior eſt ſententia per ea, qvæ in ultimo diſcrimine Philautiæ rectæ & perverſæ præſtruximus, tam confeſſa paſſim atqve recepta, ut in ea ultro inciderint diſſentientes, dum fatentur, amore ſui moderato *hominem ad virtutem actionesqve probas rectè diſponi h)* viciſſim cœcum amorem ſu *principium eſſe & fundamentum omnium vitiorum. i)*.

c.) II. Eth. 2. p. 141. d) lib. XXI. Encycl. c. 11. e) I. Syſt. Eth. c. 3. f) qva tria ponit ex unâ parte neg..gentiam ſui, & odium ſui, *ex alterâ*

ſibi-

ſibiplacentiam. *g) §. 32. h) Timpl. d. l. Q. 3. p. 144. Alsted. reg. 8. i) Timpl. Q. 6. p. 147.*

§. 46. Anteqvam pergamus, Buridani explicanda ſententia eſt: *Iſte amor* inqvit *k) nec eſt aliqva virtus ſpecialis, nec objectum ſpeciale alicujus virtutis: ſed eſt effectus qvidam communis conſeqvens ad prudentiam & omnem virtutem moralem.* Qvid eſt, qvod *effectum* vocat, qvem *curſum* forte dicere debuiſſet? Nimirum, qvia amorem hunc ſui non, ut nos hactenus, ſumit pro illo rectè vivendi, & ita ſe perficiendi propoſito, ſed pro hujus propoſiti termino atqve exitu laudabili. Ita videas Philautiæ vocabulo etiam virtutum omnium complexionem deſignari, qvoties illam *hominis ſecum ipſo amicitiam l)* hoc eſt facultatum animæ concentum, ſeu juſtitiam univerſalem notat, qvæ de ſententiâ Platonis m) eſt univerſa hominis virtus.

k) IX. *Eth. q. 4. f. 195. l) de qvâ §. 3. & 51. m)* II. *de Leg. f. 787. & inde Piccol. p. 604.*

§. 47. Qværitur qvinto: *An Philautia recta duo ſint oppoſita, αὐτοστυγία & αὐθαδεια;* Reſp. Qvi ſic ſtatuunt n) non animadvertunt, *nomina duo eſſe, rem unam.* Philautia recta, perinde ut juſtitia, unicum habet extremum: Id Philautia eſt corrupta. Qvam *αὐθάδειαν* vocare per nos liberum eſto. Hæc hominis verſus ſe ipſum injuria o) eſt, vel ejus ſcatebra potiùs. Dum plus æqvo diligit corpus, animam odit. p) Neceſſe eſt alteri decedat, qvod alteri per nefas additur.

n) vid. §. 45. o) II. *M. m. 11. p) §. 40.*

§. 48. Qværitur ſextò: *An hominis ad ſe ipſum ſit amicitia?* Ita qvæſtionem hanc proponit Ariſtoteles, q): cujus ſenſus eſt: *An Philautia propriè poſſit amicitia vocari?* Guillelmus Pariſienſis r) etiam hoc: *an eadem propriè qveat amor vocari?* ſuſcitat. Cujus diſputationem longum hic ſit vel compendio includere. Igitur eâ miſsâ Philoſophum noſtrum auſcultabimus, Guillelmo tamen, cujus qvæſtio noſtræ vicina eſt, aliqvid acceptum laturi.

 q) IX.

q) IX. *Nic.* 4. II. *M.m.* 11. VII. *Eud* 6. r) *de Virt. Vol.* I. *op. f.* 63.

§. 49. Clariſſima deciſio eſt in Eudemiis s): ἔστι γὰρ πως κατ' ἀναλογίαν αὕτη ἡ φιλία, ἁπλῶς δ' οὔ. Duo vult dicere: Homini ſecum ipſo, ſi *propriè* loqvi velis, amicitiam non eſſe, (eſt enim amor potius t), aut aliqvid amicitiâ u) majus;) ſin *metaphoricè*, eſſe.

s) *d. l.* t) *Probat prolixè Guillelm. Paris. Theſis ipſa eſt & apud Burid.* IX. *Eth. q.* 4. *prope fin. & Piccol. Gr.* VII. *c.* 18. *p.* 604. u) *Thomas* 2. 2. *q.* 25. *a.* 4.

§. 50. *Prioris* probatio ſtatim ſeqvitur apud Ariſtotelem: ἐν δυσὶ γὰρ διῃρημένοις τὸ φιλεῖσθαι καὶ φιλεῖν vv). Nimirum *Amicitia* naturam habet perqvam ſimilem *Juſtitiæ* x) Hæc propriè non eſt hominis ſecum ipſo, ſed cum aliis collati y). Itaqve ut nemo juſtus ergà ſe aut injuſtus, ita nec amicus ſibi aut inimicus dicetur propriè. *Id intra unum non poteſt fieri, quod toties duos exigit*, ait Seneca z).

vv) *vid. Burid. Eth. f.* 195. *ſ.* Homo non habet *Aug. Niph. c.* 18. *de amore, Guill. Pariſ. Vol.* 1. *f.* 63. *ſ.* Amplius, ſi dilectio x) VIII. *Nic.* 9. *ab init.* II. *M.m.* 11. *Minùs benè Zuinger, Schol. in* IX. *Nic.* 8. *Juſtitiam cum* amore *comparat. Cum* amicitia *debuiſſet* y) *V. N. c.* 1. *&* 11. z) *V. de Benef.* 9. *ubi fusè diſputat*: an poſſit aliqvis ſibi beneficium dare? *quæſtionem huic noſtræ valdè affinem.*

§. 51. Qvia tamen partium in homine qvædam eſt *multitudo*, ſeqvitur id, qvod loco *poſteriore* ponebamus ut & in illa partium conſenſione *amicitiæ* a) qvoddam ſit ſimulacrum, & *inimicitiæ* in diſſenſu. Atqve idem de juſtitia hominis & injuria verſus ſe ipſum pronunciabitur. In his enim omnibus metaphora eſt. Addamus iterum huic effato pondus ex Eudemiis b) ὅμοιον γὰρ τὰ τοιαῦτα πάντα, εἰ φίλος αὐτὸς αὑτῷ καὶ ἐχθρός, καὶ εἰ ἀδικεῖ τις αὐτὸς αὑτόν. πάντα γὰρ ἐν δυσὶ ταῦτα καὶ διῃρημένοις. ἡ δὲ δύο πως καὶ ἡ ψυχή, ὑπάρχει πως ταῦτα, ἡ δ' οὐ διῃρημένη, οὐχ ὑπάρχει. *Similem habent hæc omnia explicationem: ſitne quis ſibi amicus ipſi aut inimicus? itemq́; an injuriâ ſe ipſum afficere quis poſſit? Reperiuntur enim hæc omnia, non niſi inter duos atq́; ſepara-*

tos

tur. Quatenus ergò & anima duplex eſt quiddam, locum ea, quæ diximus habent; quatenus eadem individuum quid eſſe intelligitur, non habent. Repræſentavimus locum qvemadmodum ſcribi oportere confidimus. ſimulq; verſioni vulgatæ ſubſtituimus noſtram c).

c) Pars enim rationalis amat ſenſualem, regit, colit, & ordinat, ſicut bonus dominus ſubditum: & pars ſenſualis redamat rationalem, ſicut ſubditus bene ordinatus dominum, & obedit ei, & miniſtrat, *Burid. Eth. f. 195. Leo Hebr. Dial. III. de amore f. m. 546. comparat amicitia conjugali. Obiter vides, Philautiam rectam ſimilem eſſe amicitiæ inæquali, de qua VIII. Nic. 7 b)* VII. 6. *c) In editis ſic legitur: --- πάντα γ. ε. δ. τ. κ. διῃρημένων δὲ (Bibelsana f. 70. vide) δύο πως, καὶ ἡ ψυχὴ ὑπάρχει πῶς ταῦτα. ἡ δ' οὐ διῃρημένα, οὐχ ὑπάρχει. Quæ interpres etiam à Caſaubono retentus ſic tranſtulit:* Rationem habent hæc omnia eandem, num qvi ſibi amicus eſt, etiam inimicus ſit, aut injuriâ num ſe qviſpiam afficiat. Qvæ omnia in duobus disjunctim conſiderantur. Aut enim (*legit ἢ, ut mox,*) anima duplex qvidpiam eſt, aut (ἢ) hæc disjunctiva non conſiſtent.

§. 52. Atqve hæc una ratio eſt, qvâ probetur, homini ſecum ipſo per figuram loqvendi amicitiam poſſe, aut inimicitiam tribui: qvam non in Eudemiis modò ſed & magnis Moralibus d) deprehendas. Ubi haud dubiè *amicitia* illa ad philautiam *rectam*, *inimicitia ad perverſam* referenda eſt e).

d) II. 11. *e) juxta ea quæ diximus* §. 31. & 46.

§. 53. Aliam rationem, qvam & *naturali* philautiæ f) qvadantenus applices, inculcant præcipuè Nicomachea g). Habent hoc h), qvi verè atqve ex animo amici ſunt, *ut alter alteri benè tum velit, tum faciat propter ipſum, ut cum eo degat libenter, ut iiſdem ſtudiis oblectetur, ut ejus gaudiis pariter atque doloribus afficiatur i)* Qvæ ſingula qvoniam viro bono erga ſe ipſum pulcherrimè inſunt (nam ſcelerati ſi rectè exputes horum contrariis vexantur,) Philautiam ejus perqvam ſimilem eſſe amicitiæ concluſeris.

f) quæ hinc φιλ. α vocatur expreſſè II. *Pol. 3. ſuprà* §. 11. *g)* IX 4. *Atque de hâc, non verò de priori ratione exponendum eſſe & hunc textum (δόξειε δ' ἂν ταύτῃ εἶναι ἡ φιλία, ᾗ ἐστὶ δύο ἢ πλείω ἐκ τῶν εἰρημένων,)*

rectè

rectè contra Eustratium & Lambinum observatum est Camerario, Zuingero, Giphanio, Balfoureo. Videtur Aristoteles priorem pluris æstimasse. Itaque cum tamen in Nicomacheis omittere decrevisset, differre se ipsam quæstionem dixit: Et in Eudem. Philautiæ naturali nomen amicitiæ hinc planè adjudicat, vid. §. 3. b) effectus *amicitiæ vocat Burid. f. 195.* opera declarativa *amicitiæ, Javell. Tom. II. op. f. 126. i) vid. & II. Reth. 4. Etsi autem hæc in universum* qvinqve *numerare possis cum Magiro p. 201. ad Nic. ad* tria *tamen*, Beneficentiam, Benevolentiam, & Concordiam) *contrahunt Burid. & Javel. d. l. Quibus junge Giphan. p. 721. & Balf. p. 518.*

§. 54. Qvod hæc & in *naturalem* philautiam qvadrare qvodammodò diximus, in eo præiverunt nobis magna moralia, dùm plerasqve illas amicitiæ notas tribuunt amori, qvo sibi ipsi qvisq; nostrûm k) commendatur, h. e. philautiæ naturali l). Certè *tam nemo est, qui se esse nolit, quam nemo est, qui non beatus esse velit.* ait Augustinus m). Rectiusque Guillelmus Parisiensis, cum distinxisset inter amorem *concupiscentiæ* & *amicitiæ*, ad hoc genus posterius naturalem refert philautiam n), quàm Niphus o) ad amorem concupiscentiæ p).

k) II. 11. πάντα δὲ βυλόμεθα ἡμῖν αὐτοῖς, &c. Imò & è Nicomacheis quidam textus huc faciunt, ut: ἕκαστος ἑαυτῷ βύλεται τἀγαθά IX. 4. &: ὑπερβολὴ τῆς φιλίας τῇ πρὸς ἑαυτὸν ὁμοιῦται, ib. &: ταῦτα δ' ὑπάρχει μάλιστα αὐτῷ πρὸς αὐτὸν &c. c. 8. l) per §. 23. m) XI. de C. D. 26. in fine n) Vol. I. op. f. 64. o) c. 72. de amore, p. 295. p) adde §. 57.

§. 55. Qværitur septimò: *Quomodo intelligendum sit, quod dicitur, Philautiam esse fontem omnis amicitiæ?* Resp. qvod Aristoteles dicit: τὰ φιλικὰ πρὸς τὸς φίλυς, καὶ οἷς αἱ φιλίαι ὁρίζονται, ἔοικεν ἐκ τῶν πρὸς αὐτὸν ἐληλυθέναι q) id plerique exponentes philautiam ajunt omnis amicitiæ esse *fontem r*), h. e. ut absque figurâ loqvamur, *principium*. Quoniam vero, si metaphysicos audimus, principium vel *essendi* est, vel *cognoscendi*, de utroque videamus.

q) IX. Nic. 4. ab init. & c. 8. Sic & Plato sensit, si Leonem Hebr. sequimur, ubi fabulam Androgynorum Platonis exponit Dial. III. De Amore

amore

meros f.546. Ex hoc autem primo. *r) Camer. p. 422. Scheigk. f. 124. Giphan p. 720 Magir p. 860. Busfonreus p. 508.*

§. 56. De principio *cognoscendi* facilis est explicatio: Tum demum se quisqve alteri verè ac bonâ fide amicum sciat, s) si cum illo dilectionis genere complectatur, quo naturæ monitu se ipsum. Id autem est amor, ut modò t) dicebamus, non *concupiscentiæ, sed amicitiæ.* *Ipse enim*, verba Ciceronis u) sunt, *se qvisqve diligit, non ut aliqvam à se ipso mercedem exigat caritatis suæ* (non per amorem concupiscentiæ) *sed quod per se sibi quisq; carus est* (per amorem amicitiæ) *Quod nisi idem in amicitiam transferatur verus amicus nunqvam reperietur vv) Est enim is amicus qvidem, qvi est alter idem. x)* Quare & naturæ pariter ac Dei præcepto y) proximum jubemur *ut nos ipsos*, h. e. non alio amoris genere z) diligere, quasi mensuram aut canonem a) diligendi capientes à nobis.

s) vide, quid ad illud ὁρίζονται commentetur Eustratius. t) §. 54. u) in Lal. p. 111 vv) Similiter loquitur I. de leg. p. 162.. Quod ergò in Lælio p. 106. 107. impr. bas illam sententiam: ut eodem modo ergà amicum affecti simus, quò erga nosmetipsos, commodè exponendum est, ne à seipso dissidere videatur. Lege Giphan. p. 721. ad Nicom. & Byridan. IX. Eth. q. 4. in fin. x) ὁ φίλ⊗ ἄλλ⊗ αὐτός IX. Nic. 4. ἕτερ⊗ αὐτός. II. M. m. 15. y) Matth. 22. 39. z) Chytræ. in Deut. c. 6. f. 53 54. Summo Sylvestr. tit. Charit. f. 57. a) τέτω χρώμενοι κανόνι, VII. End. 6. ab init.

§. 57. De principio *essendi* majoris industriæ speculatio est, sed qvia pulcherrima, neutiqvam defugienda nobis. Sanè caput quartum noni libri Nicom. sic affecit Giphanium ut aureum & fere Theologicum b) vocaret. Nec in eo tamen ultrà *Philautiam acqvisitam*, quod ad præsens qvidem institutum attinet, progressus est Philosophus c) Nobis *omnia Philautiæ, omnia Amicitiæ* genera perscrutari animus est. *Philautiam* ipsi triplicem fecimus d) naturalem, rectam, perversam. *Amicitiæ* divisiones ex Aristotele præcipuè tres sunt *Primò* e) Amicitia vel perfecta (honesta) vel imperfecta, (jucunda, item utilis:) *secundò f)* vel æqvalis vel inæqvalis: *tertiò g)* vel domestica vel civilis.

b) p. 720.

b) p. 720. c) suprà §. 4. d) §. 16. e) VIII. Nic 3. f) ib. c. 7. g) ib. c. 12.

§. 58. A *naturali* Philautiâ auſpicandum eſt, videndumq;, quomodo ea primùm amicitias *domeſticas*, deinde majorum Societatum conjunctiones pariat. De *domeſticis*, h. e. conjugali, paternâ & herili h) plana res fuerit, ſi repetas è ſuperioribus, philautiam naturalem ſuo munere circa corpus, tanquam *partem* animalis perfungi i) & ex prævia corporis illius *notitiâ*, quâ ſcil. animal corpus illud ad ſe utique pertinere certum habet, reſultare k). Quoniam enim Paterfamilias & uxorem & filium, & ſervum pro membris quibusdam ac *partibus* l) agnoſcit ſuis: fieri non poteſt, quin naturalis eum Philautia ad hos omnes, ſervata tamen partium inter ſe proportione, diligendos exſtimulet.

h) Amicitiam dari inter dominum & ſervum, *ſcil. naturalem, habetur clarè* I. *Pol.* 4. II *M. m.* 11. & VIII. *Nic.* 11. (*ubi tamen diſtingvitur* ἡ μὲν οὖν δοῦλος, οὐκ ἔστι φιλία πρὸς αὐτὸν, ᾗ δ' ἄνθρωπος *per conſeqventiam verò* VIII. *Nic* 7. *abſunt*. *i)* §. 19. *k)* §. 18. *l) ex hac cauſa V. Nic.* 6. & I. *M. m.* 34. *Jus Oeconomicum, herile præcipuè atque patrium, negatur eſſe Jus ſimpliciter dictum.*

§. 59. Clariſſimum hoc eſt de *liberis* m). Itaque apertè ex hoc principio infert Philoſophus, tùm hos charos eſſe parentibus ut *aliqvid ipſorum* n), imò tanquam *[illegible] ipſos* o): tùm flagrantiorem eſſe parentum amorem, quàm liberorum, & matris quam Patris, ob ejus ſcil. quam requiri diximus, *notitiæ* certitudinem majorem p).

m) ὥσπερ μέρος τι ἐστιν ὁ πατρὸς ὁ υἱός *d. l. M. m. n)* VIII. *Nic.* 12. *Vid. & Lib. Fromond.* II. *de Anima* 6. *art.* 1. *p.* 346. *o) ibid. etiam apud JCtos* filius una cum patre perſona *eſſe intelligitur, Qua de re Merill.* III. *Obſ.* 4. *p) d. l. Nicom.*

§. 60. *Servi*, quanquam non ut liberi, ſangvis ſunt patrisfamilias, tamen hoc ipſo, quia poſſeſſio ſunt ejus, *partibus* q) annumerantur à Philoſopho. Itaque virtute philautiæ ſaltem eo amore diligentur, quo quisque res ſuas ſibi ſalvas cupit. Imò etiam aliquantò purius, quia homines ſunt r).

q) Facilè

q) Facilè integrum Syllogismum construas è diversis Aristotelis textibus: ὁ δοῦλος κτῆμά τι ἔμψυχον. (τοῦ δεσπότου) I Pol. 3. τὸ δὲ κτῆμα λέγεται ὥσπερ καὶ τὸ μόριον ib. Ergò τὸ κτῆμα (servum intelligi debere praecedentia convincunt,) καὶ τὸ τέκνον ὥσπερ μέρος αὐτοῦ, V. Nic. 6. ubi simul servum & filium in eodem ordine poni vides r) Adi Senecam Epist. 47. & locum ex VIII. Nic. 11. citatum §. 58. b. Adde §. 63. 64.

§. 61. Qvod ad *conjuges* attinet, fœminam sacra testatur historia de costâ dormientis viri productam fuisse, ut in ea evigilans ipse *carnem & ossa sua* agnoverit s). Qvanqvam autem miraculum hoc soli protoplastorum pari proprium fuit, certum est tamen ab hoc principio t) mutuas ergà se sexuum propensiones tàm profundè in naturam descendisse, ut hodieqve vir, dum fœminam qværit, *partem sui* olim in Adamo amissam repetere videatur velle u). Omninò autem illa corporum conjunctio, qvæ *ex duobus unam carnem* facit vv), neqvaqvam permittit, quin vir diligere se ipsum volens etiam uxorem suam diligat x).

s) Gen. 2. 21. seqq. t) Necessarium erat Evam venire ex ipsâ Adami essentiâ, qvò hâc ratione mutuus amor conjugibus inderetur, *Glyc. Annal. p. 114. Adde Theodoret. citat. à Salom. Gesn. Franc. Jun. in πρωτοκτιτίᾳ p. 133. u) juxta illud Talmudicum:* Vir redit ad id (*vel qværit id.*) qvod perdiderat (*costam nempe,*) *apud Drus. Clas. I. lib. V. prov. 18. p. 117. & Buxtorf.* Floril. *Hebr. p. 213. Simile illud Platonis in Conviv. f. 1186. eâdem de re:* Qværit perpetuò sui qvisqve dimidium. *Praecedebat enim fabula de primis hominibus androgynis posteà dissectis, alludens ad Rabbinicum somnium de Adamo androgyno, de quo Slevogt. p. 488. Disp. & Christian Schotan. p. 395. Heptaem. Quae deliria superiori aevo renovarunt Francisc. Georgius teste Sixt. Senens. lib. V. Bibl. sanct. annot. 45. & Leo Hebr. Dial. III. de Amore f. m. 533. meritò explosus à Joh. Bapt. Crispo f. 361. de Ethn. caute leg. vv) Gen. 2. 24. Antipater ap. Stob. serm. de laud. nupt. f. 415. hâc de causâ conjugalem amicitiâ caeteris omnibus antefert, quia τῶν σωμάτων οὗτοι μόνοι κεκοινώκασι. x) Eph. 5. 28. 29.*

§. 62. Absolvimus amicitias, qvibus in domo paterfamilias ut *totum suis partibus* jungitur. Aliud paulò amicitiæ genus *fratres* copulat, h. e. *partem parti.* *Æquali* ergò: nam contra partium

cum toto *inæqvali* fœdus eſt. Fraternam amicitiam, unà cum reliqvis omnibus conſangvineorum vinculis è paternâ procedere, præclarè obſervatum eſt Ariſtoteli y). Ergò Philautia naturalis qvia *paterni* affectus mater eſt, avia jam nobis erit *fraterni*. Sanè hunc ille procreat eodem plane modo, qvo Philautia toti⁹ corporis membrorū inter ſe omnium amicitiam z) parit, h.e qvo amic⁹ amici mei meus qvoq; amicus efficitur a).

y) VIII N.c.12. z) membrorum membro συμπάσχει καὶ συγχαίρει, 1. Cor. 12.26. Atqvi τὸ συναλγεῖν καὶ συγχαίρειν, inter notas eſt amicitiæ, IX. Nic. 4. a) ἀδελφοὶ ἀλλήλους (φιλοῦσι) τῷ ἐκ τῶν αὐτῶν πεφυκέναι. ἡ γὰρ πρὸς ἐκεῖνα ταυτότης ἀλλήλοις ταυτὸ ποιεῖ, VIII. Nic. 12.

§. 63. Ab his initiis jam proclive eſt amoris coloniam è domibus *in vicos & civitates* deducere. Exeuntes enim paternâ familiâ *fratres* naturaliſſimum *vici* genus conſtituunt, qvod inde ἀποικίαν οἰκίας appellat Philoſophus b). Qvod ſi maximè in *pagum* aut *civitatem* confl at *nullo ſibi cognationis nexu c) devincta* multitudo: tamen vel hoc hominem homini commendat, qvòd unusqvisqve alterum intuens imaginem qvandam videt ſui, qvâ arcano qvodam & ne deſpectiſſimis qvidem animalculis d) negato in ſuum genus ſenſu pelliciatur in amorem qvalemcunqve e) certè jus illud naturæ docetur, *ne alteri faciat, qvod ſibi factum nolit*. Qvam caritatem creſcere neceſſe eſt ex coalitione *in unum* Reip. *corpus* f).

b) I. Polit. 1. Cic. 1. offic. p. 18. c) qvanqvam enim ex uno ſangvine fecit DEUS omne genus hominum, *act. 17. 26. tamen τὸ πόῤῥω τὸν ἀρχηγὸν εἶναι facit τοὺς συγγενεῖς ἀλλοτριωτέρους* VIII. *Nic. 12. d) τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, Theocr. Idyll. 9. κολοιὸς ποτὶ κολοιόν, VIII Nic. 1. e) ἴδοι δ' ἄν τις ἐν ταῖς πλάναις, ὡς οἰκεῖον ἅπας ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ καὶ φίλον ib. add c. ep 11 δοκεῖ γάρ. Lactant. VI. 10. & Epit. c. 7. Sen. Ep. 9. f) Notus eſt Apologus Menenii Agrippæ de membris humanis corporis, ap. Liv. lib. II.*

§. 64 Qvas è philautiâ naturali derivavimus hactenus, amicitiæ partim *inæqvales* ſunt, (paterna, herilis, conjugalis,) partim *æqvales*, (fratrum, vicinorum g), civium) videamus eadem, qvo *perfectionis* in gradu conſiſtant. Ac parentibus qvidem

dem conjugibusq; *jucundos* eſſe amores ſuos nemo dubitat. Etiam fratres ſibi conciliat dulcedo τῆς συντροφίας. In univerſum homo homini per naturam minimè triſte ſpectaculum eſt. Sed prætereà ſocietates, qvas diximus ferè omnes h) cuiq; *mutua* commendat *utilitas*. Præſtat eam Domino ſervus i), uxor marito k), vicinus vicino, civis civi l) Qvid? interdum & viliſſimus homuncio regi m). Adeo ſalutaris homini res homo eſt.

g) Fratres & vicinos, ut ſc. æquales ſibi eſſe, notum. Qvod ad cives attinet, κοινωνοὶ βίου πρὸς τὸ εἶναι αὐτάρκειαν ἐλεύθεροι καὶ ἴσοι periphraſis civium eſt V. Nic. 6. Additur tamen: ἢ κατ' ἀναλογίαν ἢ κατ' ἀριθμόν. h) ſic dicendum fuit propter paternam. Id. ò domeſticas ſocietates ſic poſſis diſtingvere: Paterna jucunda, *Herilis* utilis, *Conjugalis* æqvè jucunda ac utilis. *Hoc ultimum clarè fatetur Ariſtoteles VIII. Nic. 12. i) δεσπότῃ καὶ δούλῳ ταυτὸ συμφέρει I. Pol. 1. k) tanqvàm adjutricem ejus* Gen. 2. 18. *οὐ μόνον τῆς τεκνοποιίας, ἀλλὰ καὶ τῶν πρὸς τὸν βίον,* VIII. *Nic.* 12. *l) itaqve finis τῆς κοινωνίας μὴ ἐφίεσθαι,* I. *Pol.* 1. *& civitatis τὸ εἶναι αὐτάρκειαν, ib. c. 2. m) Id fabula volunt de Leone & muſculo, de formica item & columbâ.*

§. 65. De *honeſtate* hîc tacemus, non qvòd inhoneſtæ ſint hæ amicitiæ, ſed qvia verſamur adhuc intrà terminos Philautiæ *naturalis*. Ad *honeſtatem Ratio* nos vocat; *Natura* ſolius *jucundi & utilis* conſcientiam habet n), imò nec utilis qvidem niſi ſub ratione jucundi o). Qvod ad ignominiam ejus adeò non pertinet, ut in laudem potiùs debeat verti. Sic enim qvoad poteſt, Rationem imitatur, dum nec utilia per ſe appetit, & appetendi finem in eo qværit, qvod per ſe appetibile eſt. Nec aliam ob cauſam *jucundam* amicitiam *utili* perfectiorem ponit Ariſtoteles, qvàm qvòd illa *liberalis* eſt atq; ingenua, hæc *mercatoria* p).

n) §. 19. o) Id ò I. Pol. 2. cæteris animalib. ſolus jucundi & moleſti ſenſus tribuitur. p) VIII. Nic. 6. Add. inf. § 75. in fin.

§. 66. Sanè naturalium amorum nullus plus voluptatis habere creditur, qvàm qvi primò *conjuges* inter ſe, dein *parentes* ac *matrem* præcipuè, in liberos accendit. At iidem affectûs etiam *ſinceriſſimi* q) ſunt, ſic ut DEUS ipſe ſummam φιλανθρω-

πίαν

riae ſuam his præcipuè imaginibus depingat nobis r). Et verò qvis dubitet amorem *amicitiæ* eſſe, non *concupiſcentiæ*, ſi qvis ſaluti alterius impendat ſuam, aut mori cum eo malit, qvam absq; eo vivere? Atqvi hoc faciunt conjuges, faciunt parentes. Qvod vel ſolius naturæ inſtinctu fieri, niſi nos bruta docerent s) minus fortaſſe crederemus.

q) Amorem conjugalem Antipater ap. Stob. f. 415. ἀγχιθυροτάτην καὶ γνήσιον εὔνοιαν *vocat. E materno amore documenta promere vera amicitiæ familiare eſt Ariſtoteli*, VIII. *Nic.* 8. XI. 4. r) Pſ. 103. 13. Eſ. 49. 15. Luc. 11. 13. Eph. 5. 29. s) *De Ciconia Delphenſi vid. Oomter p. m. 130. hiſtor. mort. Batav. De cane vivâ ſectâ Realdi. Columb. lib. XIV. de re anat. p. m.* 475. 476.

§. 67. Eſt ergò philautiæ naturalis hæc præcipua laus, qvòd amicitias alienas non *moleſtas* tantùm commendat nobis ſed ita ſæpè *jucundas* facit, ut arcano qvodam impulſu amorem nobis ipſis ereptum profundamus in alios, qvaſi divinante naturâ, eſſe aliqvod *majus bonum* t) cujus amore ſua cujusq; philautia ſe conſumere, vel potiùs perficere debeat.

t) Majus bonum comparatione individui ſpecies *eſt. Hæc enim* totum, *illud pars. Ergò ſi qvis alium ſeipſo plus diligit, ſpeciem preferre individuo videtur: neq; tàm diligere alium ut partem ſui aut comparem, qvam ſpeciem, ut pars totum. Id ò DEUS vehementiſſimi amoris incendia excitavit versùs conjuges & liberos, ut per qvos & in qvibus ſpecies propagatur, & natura* τοῦ ἀεὶ καὶ τοῦ θείου *particeps ſit qvodammodo*, II *de anim.* 4. *ut vel hinc doceamur omnem amorem noſtri DEO in qvo ultima* totius *ratio eſt, reſignare. Conſ. Thom.* 2. 2. *q.* 26. *a.* 3.

§. 68. Enimverò inchoatum ab Natura opus *Ratio* perficit, atq; Amicitiis tùm domeſticis, tùm civibus *honeſtatem* adjungit. Sunt enim *prima naturæ*, ad qvæ philautiam naturalem retulimus u), ut loqvitur Cicero vv), *ſubjecta qvaſi materia Sapientiæ*, h. e. Rationi, qvæ ſcil. ruditatem ejus expoliat. Rationis verò proprium opus honeſtas.

u) §. 18. *vv)* III. *de fin. p.* 113.

§. 69. Ac vide qvod ſubſidium ipſi Rationi paraverit *Natura* non jam Animalis, ſed *Hominis*. Orationem enim nobis dedit

dedit, ut, cum bestiæ non nisi *voluptates* suas aut *dolores* confiteri voce possint, nobis *justi* præcipuè *injusti*, significatio in promtu sit. Qvo ex argumento, qvanqvam nec alia desunt, rectissimè confecit Aristoteles x), hominem suapte naturâ animal esse qvovis alio *civilius*.

x) I. Pol. 2.

§. 70. Minimè ergò audiendus est Thomas Hobbes, vir ingeniosus ille qvidem, sed in omni Philosophiâ magnus novator, cum inauditam Scholis sanioribus hypothesin civili doctrinæ præstrui: *hominem ad societatem aptum natum non esse* y). Ac postulat hic locus, ut qvoniam ad pessimam causam ipsâ qvoq; hominis philautiâ callidè abutitur z), strophas ejus unam atqve alteram detegamus.

y) Elem. Philos. de Cive c. 1, p. 6. *z) ib. p. 5.* Omnis igitur societas vel commodi causa, vel gloriæ, h.e. Sui non sociorum Amore contrahitur.

§. 71. Initio fraude non caret immanis saltus, qvo omnes parentum, liberorum, fratrum, affinium necessitudines transmittit. Non enim hominem, ut nos faciebamus a) faciendumqve vidit & Cicero b), per domesticas caritates vicis atq; urbibus præparat, sed considerari à nobis postulat homines, *tanqvam si essent jamjam subitò è terrâ (fungorum more) exorti & adulti sine omni unius ad alterum obligatione* c) huncqve statum *naturalem* vocat. Dicas eum deliria qvorundam Ethnicorum de ortu generis humani d) ab orco revocare voluisse.

a) §. 63. *b) II. de fin. p. 74.* Ratio facit hominem hominum appetentem, cumqve his naturâ & sermone & usu congruentem, ut profectus à caritate proximorum ac suorum currat longiùs, & se implicet primùm civium, deinde omnium mortalium societate. *His similia leguntur* III. *de fin. p. 103. V. p. 140. I. Offic. p. 11.* *c) c. 8. p. 139.* *d) Vid. Diod. Sic. lib. I. c. 1. Horat. I. Sat. 3. v. 99. Lucret. lib. V. Censorin. c. 4. de die Nat. Plutarch.* II. *Sympos. 3. Macrob.* VII. *Saturn. 16.* Empedocles natos homines ex terrâ ait, ut blitum, *Varro ad Non. Marc. c. de gener. ceb. & pot. Stoici* putant homines in omnib. terris & agris tanqvam fungos esse generatos, *Lactant. lib.* VII. *c. 4. add. c. 7. & lib.* VI. *c. 10. & lib.* II. *c. 11. & 12.*

§. 72. De-

§. 72. Deinde *Philautia*, qvam in hoc negotio crepat e) non *naturalis* eſt, non *recta*, ſed *perversa* illa, qvæ *gloriæ* propriæ *utilitatisve* incenſa, ſtudio, ſupera inferis miſcet f). Qvis autem docuit Hobbium, ut ſtatū naturæ inveniret, prava qvæ præter naturā ſunt g) conſectari, recta h) omittere? Nempe ſemel decreverat, ex homine animal bello natū facere. Id cùm per philautiæ laudabilia genera minimè procederet i) homo aſtutus non dubitavit à philautiâ corruptâ cauſæ non minus corruptæ ſuffragium eblandiri.

e) c. 1. p. 5. f) Hanc bellorum ſatricem eſſe ipſi fatebimur §. 75. g) §. 27. h) Natura hominis judicanda è rectè ſe habentibus. Pulchra quædam in hunc locum ſuppeditabit Grot. I. d. I. B. 1, §. 12. p. 56. i) de Philautiâ rectâ *mox probabitur § ſeq.* De naturali *opponenda Hobbio inſuper locus inſignis Cic. Lel p. 111.* Qvod ſi hæc apparent in beſtiis, &c.

§. 73. Verùm eo miſſo nunc inſpiciamus, qvantum Philautiam *recta* (nam de naturali ſatis diximus) ad juſtas amicitias afferat ponderis. Longè plurimū profectò. Qvi enim ſe ita ſe diligit, ut omni virtutum apparatu inſtructum ſe velit, is non modò parentibus, conſangvineis, affinibus, viciniis, peregrinis civibus, patriæ, ſed ipſi qvoqve Deo præſtabit officium charus omnibus, invisꝰ nemini, niſi qvorum expetenda, ſunt odia r).

r) Lucil. ap. Lactant. VI. 5. Virtus eſt- *Ariſt. IX. Nic. 8* τὸν μὲν ἀγαθὸν δεῖ- & *X. 8.* ἡ κατὰ τὸν ἐνέργειαν -- *Anonym. p. 40.* οὐδὲ φιλεῖ τις -- *Auguſtin. I. de doctr. Chr. 22.* Qvisqvis ergò rectè.

§. 74. Atq; hoc *perfectum* illud amicitiæ, ſolūq; hoc nomine dignum Stoicis s) viſum genus eſt, qvo qvis honeſtatem non in ſe tantum ipſo t), ſed in aliis qvoqve animadverſam veneratur, iisq; non ſui, ſed ipſorum causâ vult benè. Cujusmodi amor cum è rectâ ſui dilectione velut è fonte promanet u) cauſa non erat, cur Aug. Niphus vv), qvò negaret *omnem amorem à philautiâ proficiſci*, amorē Dei, amorem virtutis, aliorumq; per ſe amabilium objectorum exciperet, aut confugeret ad perverſam illam philautiam: niſi fortaſſe Marius Æqvicola x) qvem ibi oppugnat, his cauſationibus locum fecit. Veruntamen

men præſtabat, opinor, ſententiam veram in hunc modum explicare: amorē omnē proficiſci a philautiâ, ſi non ut à causâ *finali* ſaltem ut ab *efficiente* & *à rectâ*, non à *corruptâ*. Debet enim, cùm de philautiâ ſimpliciter diſputatur, ad rectam reſpici, ut *menſuram*, ad qvam cætera genera ſunt exigenda y).

r) *Herum illud eſt*: Sapientes ſoli inter ſe amici ſoli, amare gnari, *V. d. Lipſ. I. I. Manud. diſſ.* 16. *Plato in Lyſid. f.* 504. *ἀγαθὸς τῷ ἀγαθῷ μόνος μόνῳ φίλος. Afranius*: Amabit ſapiens, cupient cæteri. *s)* §. 29. *u) IX. Nic. 4 per tot. vv) c. 72. de amore. Adverſus eum jam aliqvid obſervavimus* §. 54. *x) ſcrepſit hic de Amore Italicè, teſte N. ph. c. 1. de Amore. y) ſupra* §. 44. *a. ἔοικε γὰρ μέτρον ἑκάστῳ ἡ ἀρετὴ καὶ ὁ σπουδαῖος εἶναι*, IX. *Nic.* 4. III. 4. x. 5.

§. 75. Quod ad *corruptam* attinet philautiam, bellorum ea potiùs, quam pacis ac tranqvillitatis fons eſt. Qvi enim ipſe ſibi bona fide amicus non eſt z) quomodo aliis erit a)? Accedit, qvòd bonorum, qvibus tales philauti inhiant, ea eſt natura, ut in plures diviſa poſſeſſores minuantur. Cupiente ergò qvolibet maximam eorum partem ad ſe trahere, rixas & contentiones oriri neceſſe eſt b). Itaq; Ariſtoteles *hoſpitalem* amicitiam firmiorem pronunciat *civili*, quia non perinde hoſpitibus, ut civibus eſt, de quo diſceptent c): & virum improbum vetat philautum eſſe, cùm ſit aliàs eventurum, ut ſibi & proximis noceat d). Quod maximè hoc hominum genus dextras jungat, *imperfectæ* tamen ſunt eorum amicitiæ atqve inſtabiles, eò quod alter alterum non ipſius, ſed ſua causâ diligat, qvi amor eſt concupiſcentiæ, nec tàm amicitia vocari debet, quàm *negotiatio* e) aut *mercatura* f).

z) §. 31. & *ſeq. a) Plato in Lyſid. f.* 504. *Cato* I. *Moral. diſt.* 4. *b) itaque eleganter talia bona (ea verò ſunt, honores, divitiæ, voluptates corporis περιμάχητα vocantur* IX. *Nic.* 8. *Suid. in* πολλοί *auctor eſt*: *Nymphas ad Narciſſum dixiſſe*: πολλοί σε τοι μνῶντο, ἂν σαυτὸν φιλῇς *e) Senec. Epiſt.* 9. *f) Cic.* 1. *de* N. D. *p.* 25. *Conf. ſupra* §. 65. *in fin.*

§. 76. Quæritur octavò: *An Ariſtoteles à Platone circa doctrinam de Philautia diverſus abeat?* Reſp. Camerarius g) exiſtimat, Ariſtotelem hujus diſputationis ſubtilitate Platonica illa, qvæ in quinto Legum h) habentur, refellere voluiſſe. A quâ ſententia non alienus eſt Giphanius i). Nobis ſecus videtur. Ait Plato: *omnem hominem*

minem naturâ sibi amicum esse. Non negat hoc Aristoteles k) Pergit, *rectè se habere, ut ita in se animatus sit quisq;.* Neq; hoc nostro displicet l). Qvod ergò addit, *amorem sui peccatorum omnium causam esse, bonumq́; virum non debere seipsum diligere*, id de perverso tantum philautiæ genere exaudiendum est. Nominat enim apertè τὴν σφόδρα ἑαυτοῦ φιλίαν, planè ut Aristoteles in Politicis m) τὸ μᾶλλον ἢ δεῖ ἑαυτὸν φιλεῖν. Cæterum nec laudabilem philautiam negatam à Platone fuisse, Javellus n) planum facit.

k) p. 435.) ad Nicom. h. f. 842. i) p. 743. in Nic. k) vid. §. 11. 23 54. l) vid. §. 79. m) supra §. 38. o. n) Epit. in Eth. Plat. Lib. III. c. 7. & V. 3. conf. § 5. 9.

§. 77. Cum illo ergò è Legibus loco facilè conciliabimus disputationem Aristotelicam. Non perinde cum eo dogmate, qvod in Alcibiade primò o) scritur, *hominem esse animam solam.* Placet enim Aristoteli etiam corpus ad essentiæ nostræ integritatem pertinere. Itaq; cum significaret, maximum esse amatorem sui qvi mentem suam diligeret, eo qvod qvisqve *sua mens esse* videatur, cautè addit μάλιστα p) pro qvo Plato dixisset μόνον. Atq; hæc sententia Peripateticorum q) qvam & in Archytæ Pythagorei fragmentis r) deprehendimus, Christianis s) omninò contra Platonis argutias defendenda est.

o) f. 447. p) IX. Nic. 4. & 8. Vid. ibi Eustrat. f. 251. Camer. p. 423. Gipban. p. 748. q) de hac Cic. IV. fin. p. 169. Iidem diviserunt naturam hominis in animum & corpus. *r) ad. Stob. Serm. 1. f. 14.* ὁ δ᾽ ἄνθρωπος οὐχ ἁ ψυχὰ μόνον ἀλλὰ καὶ τὸ σῶμα. *s) Platonis illam opinionem rejectam vide e nostris à Kesl. Phys. Phot. sect. II prim. 2. Luthem. de vero hom. p. 5. è Pontificiis à Sixt. Sen. V. Bibl. S. annot. 26. Delr. Comm. in Sen. Tread. p. 453. Job. Bapt. Casp. in Ethic. causè leg. f. 337. Liv. Galeat. Compar. Crist. Theol. cum Plat. f. 363.*

§. 78. Qværitur nono: *An Aristotelis in hâc doctrinâ Christiana religioni adversetur?* Resp. Qvæ qvidem ex eo nostra fecimus, sana, ut confidimus, sunt omnia. Itaq; & Schegkius t) Aristotelem hîc mirificè illustrat è scitis sanctissimæ fidei. Opinatur tamen Giphanius u) cum philosophi viro bono tribuunt *harmoniam animi partium & concordiam w)* id Paulo Apostolo adversari, de *internâ illa pugna* conquerenti x) Verùm ut alia hîc omittamus, Aristotelem sua verba non ita rigidè ac simpliciter, sed comparatè intelligi voluisse vel inde probes, qvòd cùm virum bonum ὁμογνωμονεῖν

facit

facit y) ὡς εἰπεῖν addit qvæ formula est confitentis non omni exceptione, quæ dixerit, carere z).

x) f.524. seqq. u) p.730. & 723. vv) vid. §.31. 51. 55. x) Rom. 7.23. y) IX. Nic. 4. z) hâc formula utitur & VIII. Nic. 8.

CAPUT VII. ET ULTIMUM,

QVÆSTIONES PRACTICÆ.

79. Prima: An homo debeat amare seipsum? 80. *Secunda*: An magis qvam alios homines? 81. *Tertia*: An etiam magis qvàm Deum?

§. 79. De Qvæstionibus Theoreticis satis, *Practica* nobis tres se offerunt. Qværitur enim primò: *An homo debeat amare seipsum?* Resp. Debet. Nam *si amare seipsum esset malum, amare quoque amicum fieri seipsum pravum esset*, verba sunt Eustratii a). Qvam in sententiam passim videas illud inculcari præceptum divinum, qvo proximum, ut nos ipsos, diligere jubemur b). Etiam aurea carmina Pythagoræ, dum vetant *facere, quæ sint nobis nocitura* c) Philautiam præcipere videntur. Sed eam *laudabilem* qva scil. se diligit homo, *ut prosit sibi*, qvemadmodum Augustinus d) loqvitur. Ea verò est, qvàm viro bono dedimus e). Neqve alia mens est Aristoteli, cum virum bonum ait φίλαυτον esse oportere, malum non oportere f). Non enim omni, sed perversâ tantum philautiâ improbis vult interdicere, *ne se pariter, & alios lædant.*

a) ad Nic. 8. f. 260. b) Aug. 1. de doctr. chr. 26. Bernh. sive quis alius III. de Am. Dei 11. Thom. 2.2. a. q. 25. a. 4. Piccol. Gr. VII. c. 17. p. 602. Vid. & §. 56. y z. Atq; hac monumentum probant, naturalem Philautiam non esse prohibitam; de quo & Guill. Paris. Vol. I. f. 64. c) πρῆσσε δὲ ταῦθ' ἅ σε μὴ βλάψῃ. Et in bonum sensum ibidem plura. d) I. de doctr. chr. 25. e) §. 29. 30. f) IX. Nic. 8. Adde II. M. m. 13.

§ 80. Qværitur secundò: *An homo se magis, qvàm alios homines amare debeat?* Resp. Philosophus g) sic censet in utilibus ac jucundis rebus virum bonum amici, item patriæ majorem, etiamsi vita sit profundenda in honestis verò sui summam rationem habere h.) Qvod non ita interpretabimur, qvasi non debeam, qvod in me virtutis est, qvoad possum, propagare in alios i) sed qvia virtutem non æqvè alteri ut mihi dare qveo, necesse est, hac parte beneficentiam meam pleniorem esse in me ipsum, qvam alios. Consonat illud Theologorum Scholasticorum: *Ordinata charitas incipit à seipsa* k) sic &c ex [illegible] nam aliàs non legitur ē usurpa[illegible] [illegible] de ver[illegible] suspectum esse cœpisse, ait Schegkius l).

g) IX. Nic. 8. & ubi hanc quæstionem à superiore separat II. M. m. 14. h) idem Stoicos sensisse credas per ea quæ Lips. III. Manud. 10. tradit. i) vid. Anonym.

monym. p. 40. Aug. I. *de doctr. Chr. 22. k) Gomez de potest. in supl. f. 1. Solent de ordine caritatis citare dictum Cantici 2. 4.* O dinavit in me caritatem. *Vide Thom. 2. 2. q. 26. a. 1. Summa Sylv. f. 17 Erasm. Adag. 19* ordinatam dilectionem *agnoscit Aug.* I. *de doctr. Chr. 27. l)* 527. *ad Nicom. Conf. Luth. Kirchen Post. Ev. H. drey K. f. m. 180. Sanè in ordine caritatis, quem ap. Jav. ll. Tom.* II. *411. & Dav. de Augusta form. novit. c. 16. p. 50 reperio corpus proprium anteponitur corpori proximi. Quod ne Ethnico quidem Aristoteli satis se probaret, nedum Philosopho Christiano.*

§ 81. Qværitur tertiò. *An homo se magis, quàm Deum diligere debeat:* Resp. Absit hoc à nobis vel cogitare *m)*. Magis enim diligendus, qvi magis diligit *n)*: Est autem in nos caritas major Dei, qvàm nostra ipsorum *o)*. Huc pertinet, qvod Aristoteles bonum virum magis φιλάγαθον qvàm φίλαυτον esse innuit *p)* & virtutem ait à nobis expetitum iri, etiamsi inde nihil ad nos voluptatis perveniret *q)* Sub virtutis enim & τοῦ ἀγαθοῦ nomine latet nobis ὁ αὐτάγαθος. Apud Platonem *r)* & Xenophontem *s)* hæc sunt clariora, qvi *primum* honorem Deo, *secundum* animæ nostræ, *tertium* corpori deferre præcipiunt.

m) Quomodo huc vel ipsa Naturalis *philautia nos ducat vide §. 67. 1. De catero consulendi Thom. 2. 2. q. 26. a. 3. Guill. Paris. Vo.* I. *f. 64. Distinctio Piccolominei Gr.* VII. *c. 18. p. 605 inter* objectum perficiens & subjectum perficiendum *non videtur nodum solvere ea parte, qua debebat. n) Hac ratione utitur* Philosophus IX. *Nic. 8. ad* Q. *præcedentem. Nobis eam huc transferre visum fuit. o) Juvenal. Sat.* XI. *v. 350.* Carior est illis *(superes)* homo qvàm sibi. *p)* § 41. *q)* X. *Nic. 3. propè fin. r) V. de Leg. ab init. s) ap. Stob. f.* 408.

§. 82. Huc usqve docendo progressa Philosophia in opere ipso fatiscit, opemq; implorat sublimioris Sapientiæ, qvæ hominem & sui & DEI notitia perfectiore imbuens, tam sancto impleat contemptu sui, *ut nec se ipsum diligat, nisi propter* DEUM, in qvo devotus Pater Bernhardus *t)* qvartum Amoris, eumqve supremum gradum agnoscit Qvem ut hic demonstrare, ne septa transiliamus, non licet, ad eum aspirare pietas jubet. Da nobis Deus Amorem tui usq; ad contemptum Nostri.

t) c. 10. de dilig. DEO. Augustino hoc est Amor DEI usq; ad contemptum sui, XIV. *de C. D. 28. Uberrimè hoc argumentum prosequuntur Scriptores Theologiæ Mysticæ.*

FINIS,